TRACTATUS
DE
POLITIA
Ecclesiæ Anglicanæ.

Cui accessêrunt

RICHARDI ZOUCH LL. D.

Descriptio Juris & Judicij Ecclesiastici secundum Canones & Constitutiones Anglicanas.

NECNON

Descriptio Juris & Judicij Temporalis secundum Consuetudines Feudales & Normannicas.

Mar 248

LONDINI,
Excudebat *S. Roycroft* LL. Orientalium Typographus Regius, Impensis *Rob. Clavel* sub signo *Pavonis* in Cœmeterio S. *Pauli*.
M DC LXXXIII.

4° C. 304.

EDITOR LECTORI BENEVOLO.

Hosce tres Tractatus, cum omnia penè primæ Impressionis exemplaria divendita aut distracta conspexeram, iteratâ vice in lucem edere non iniquum duxi. Horum duo primi Leges Ecclesiasticas, uti in hoc Regno vim obtineant, breviter & delucidè ex-

 plicant,

plicant, & eisdem quasi Institutionum loco non incommodè inservire possunt; Argumenti præstantia & utilitas veniam hujus secundæ Editionis facilè (uti spero) impetrabit; Imò si inopiam librorum de hoc studij genere differentium spectes, si porrò styli elegantiam, methodum accuratam, summum deniq; horum utriusq; Authorum judicium & peritiam, tam in Jure Civili & Canonico, quàm in Canonibus & Constitutionibus nostris Legatinis & Provincialibus (ex quibus tota penè Juris-prudentia nostra Ecclesiastica conflari videtur) perspecias:

credo

credo equidem, quòd viris in re literariâ versantibus, præsertim hujus Juris notitiam appetentibus, tam Academicis, quàm Forensibus, pergratos in lucem redire credideris.

Nec in hoc me minorem gratiam Nostratibus facturum arbitror (quorum multis hoc Studij genus aversari contigit, cogitantibus nimirum, quòd nemo possit ejusdem Juris vel modicam peritiam assequi, nisi multa evolvat Volumina) quàm Exteris, quibus rem nostram Ecclesiasticam penitiùs intuendi subijt desiderium. Mirum sanè quantum hæc scientiarum compendia studium

promovent; initium profectò efficiunt fœlicius, tutiorem progressum. Juris Imperatorij in hoc Regno studiosis hactenus vitio verti consuevit quòd Juris Patrij cognitionem paulò sapiant aut curant; quòd Cives sint in alienâ Republicâ, Hospites planè & peregrini in nostrâ; Optandum sanè esset, quod istius Juris studio se propriùs aliquantulùm addicerent; sic enim publicis Regni negotiis & Patriæ suæ seipsos longè redderent accommodatiores. Non minùs etiam exoptandum venit, quod Juris nostri Municipalis studiosi Juris Civilis & Canonici dogmata

Studiis

Studiis ſuis interponerent; tunc enim verè (quod aiunt) dulce cum utili admiſcerent, nec eſſet cur eis diutiùs imputaretur, quod ſibi ipſis tantùm ac infra hujus Regni cancellos ſolummodo ſapiant. Quid? quod hoc etiam pacto fieri poſſit, ut Jus noſtrum, quod hactenùs linguæ & locutionis obſcuritate involutum, apud exteros & politioris literaturæ viros, barbariſmi notam vix effugit, formam elegantiorem & magis cultam paulatim indueret, ejuſq; deciſiones & regulæ ſive præcepta, quæ (putà quoad dignitatem, rationabilitatem, & juſtitiam) nullis legibus

in toto terrarum orbe forsan cedere debent, ab aliis Nationibus facili labore (quod nunc vix ac ne vix quidem fieri valeat) intelligi possint. Sed nè altum sapere videar, meipsum corripio, & ad rem propiùs accedo.

I tractatu iste de Politia Ecclesiæ Anglicanæ, tempore illustrissimi nostri Regis JACOBI, *à Doctore* Mocket, *Reverendissimi tunc temporis* Cantuarienſis *Archiepiscopi à Sacris Domesticis & Collegij* Omnium Animarum, *in celeberrimâ* Oxonienſi *Academiâ, Præfecto, conscriptus est, ac unà cum* Juelli *nostri Apologia*

logiâ pro Ecclesiâ Anglicanâ, *Catechismis majori & minori, Liturgiâ Publicâ, Articulis Religionis, pulicâ Authoritate stabilitis, ac Homiliarum Ecclesiæ nostræ compendio Latinitate donatis, in lucem editus. Verùm enim-vero cùm in abbreviandis Homilijs, optimâ (ut fertur) non egit fide, ac in quibusdam locis alium eis censebatur affixisse sensum, quàm qui ab Ecclesiâ probatus esset, ac partem vicesimi Articuli, Ecclesiæ Authoritatem in Controversiis Fidei, ac jus ejus statuendi Ritus & Ceremonias respicientem in Editione suâ prætermisit;*

4° Lond. 1617.
see 4° A. 22. Th. Sol.

miſit; totus iſte Liber publico Edicto flammis adjudicatus eſt, ipſeq́ hic Tractatus, unà cum Juelli *Apologiâ (licet prorſus innocui nihil admiſerunt) eodem tamen ſuccubuerunt infortunio. Qui plura de Authore ipſo, vel opuſculo ſuo ſcire cupiat,* Petrum Heylin *adeat, in pag.* 70. *Hiſtoriæ ſuæ de Vitâ Reverendiſſimi Patris* Gulielmi Laud *Archiepiſcopi* Cantuarienſis. *Utut res eſt, hunc Tractatum in optimo æſtimio haberi & egregiis laudibus evehi apud doctiſſimos ſemper obſervavi, ideoque rationi diſſonum putavi, Rempublicam literariam diu-*

tiùs

tiùs beneficio ejuſdem privari.

Quod ad ſecundum et tertium ſpectat Tractatum, ij per celeberrimum noſtrum Juriſconſultum Richard. Zouch, *Juris Civilis in Academiâ* Oxonienſi *quondam Profeſſorem Regium (Exteris certè non minùs quam Noſtratibus notum, imò ſcriptis ſuis de Jure Gentium et Civili ubique clariſſimum Gentis noſtræ decus et ornamentum) conſcripti fuerunt, et Anno Domini* 1636. *unàcum altero ejuſdem Authoris cui titulus, Elementa Juriſ-prudentiæ, in lucem emiſſi; Veruntamen cùm Libellum*

bellum istum in partibus transmarinis, cum aliis quibusdam hujus Authoris opusculis, repetitâ vice impressum, hos autem duos insuper habitos et quasi neglectui expositos, perspicerem (cùm tamen Orbi literario cæteris non minùs utiles et grati esse possint) iniquum putavi quicquam à tanto Authore exaratum, præcipuè de tali argumento, in cujus explicatione tam pauci insudarunt, delitescere. Qui titulum præ se fert, de Jure et Judicio Ecclesiastico,&c propter materiæ affinitatem, alteri de Politia Ecclesiæ Anglicanæ in hâc Editione non immerito

ritò annectendum censui ; Alter autem cui titulus, Descriptio Juris et Judicij Temporalis, &c. *licet argumenti similitudinem præ se non ferat, cum tamen Juris* Cælarei *apud nos studio incumbentibus, Juris nostri municipalis cognitionem aggredientibus, in optimum usum, ac quasi vice præparatorij inservire possit, non incommodè subjungi videtur ; Et, ut ingenuè fatear quod res est, nonnihil momenti in hoc ultimo Tractatu edendo mecum habuit, cùm advertissem, quòd nisi hâc vice unácum cæteris cuderetur, maximè verendum fuit, nè per-*

perpetuâ oblivione delendus esset. Valeas amice Lector et consilium hoc nostrum æquî bonîq; consulas.

INDEX

INDEX CAPITUM.

Cap. 1. *Angliæ divisio in suas partes & membra ratione Ecclesiasticæ Jurisdictionis.*

Cap. 2. *Quænam sint in genere Ecclesiæ Anglicanæ leges Ecclesiasticæ.*

Cap. 3. *Quam Regis authoritatem in personas & causas Ecclesiasticas agnoscat Ecclesia Anglicana.*

Cap. 4. *Archiepiscoporum in Anglia dignitas & potestas.*

Cap. 5. *Episcoporum in Anglia Potestas & munera.*

Cap. 6. *Episcoporum voluntaria Jurisdictio in Diœcesibus suis visitandis.*

Cap. 7. *Contentiosa Jurisdictio Episcoporum.*

Cap.

Cap. 8. *De Cathedralibus Ecclesiis.*

Cap. 9. *De Episcoporum in Ecclesia Anglicana Cancellarijs, Archidiaconis, & Decanis ruralibus.*

Cap. 10. *De Presbyteris, Diaconis, Oeconomis, Testibus Synodalibus, Ædituis.*

Cap. 11. *De Anglicanæ Ecclesiæ Synodis Nationalibus & Provincialibus.*

E C-

ECCLESIÆ ANGLICANÆ DISCIPLINA ET POLITIA.

CAP. I.

Angliæ divisio in suas partes & membra ratione Ecclesiasticæ Jurisdictionis.

QUamprimum Romani ultra Italiæ oram Imperij sui fines propagaverant, illud regiminis causâ in varias Provincias partiti sunt: & postea, Ciceronis seculo, (ut constat ex ejus Epistola ad L. Servilium de Proconsule ita scribentis; *ex Provincia mea Cilicienſi, cui ſcis tres Diœceſes Aſiaticas attributas fuiſſe*) singulas

Provincias in suas Diœceses, seu administrationes divisérunt. Hæ vero Proovinciæ, Romano Imperio crescente, ita fuere auctæ, ut (teste Onuphrio) sub Trajano quadraginta extiterint. Et hinc Trajani successor Hadrianus, quò tot ac tam dissita membra firmiori ligamine devincirentur, totum Imperium in aliquot Diœceses distribuit: &, contra quàm Ciceronis seculo, quando Provinciæ singulæ divisæ sunt in Diœceses, unamquamque Diœcesin in plures Provincias dispescuit.

Et hæc Romani Imperij in Diocœses, & Diœcesêon in Provincias partitio mansit sub Constantino Magno, qui tamen ita utrumque numerum auxit, ut *Notitia Provinciarum* 13 Diœceses, & 120 Provincias recensuerit. Hæc autem orbis Romani divisio politica, in Ecclesiam imitatione quadam derivata est: *Si qua* (inquit Concil. Chalced. can. 25.) *civitas* (multò magis si aliquæ Regiones amplæ) *potestate Imperiali innovata sit, vel deinceps innovata fuerit; civiles & publicas formas Ecclesiasticarum quoque Parœciarum ordo consequatur.* Et hinc passim in sacris antiquorum Conciliorum * canonibus frequens fit mentio Diœceseôn & Provinciarum, quibus Primates, Exarchi, Metropolitani præesse, & è quibus ad Synodos congregari perhibentur. Neque hic acquievit Ecclesia, sed ulteriùs distribuit Provincias in suas Episcopales Parœcias, quarum nomine non tantùm Civitates significabat, urbium mœnibus cinctas, sed etiam Regiones seu Territoria Civitatibus adscripta: *Unusquisque* (ait Canon 9. Concilij Antiocheni) *Episcopus potestatem habeat suæ Parœciæ, eamque administret*

* Vide Act. Conc. Constant. pri can. 2. Act. Concil. Ephes. can. 8. Et Chalcedon, can. 9. & 16.

administret pro suo quisque studio ac Religione, & curam gerat Regionis, quæ suæ Urbi subest.

Verùm seculis subsequentibus, tametsi Ecclesia Diœcesêon, Provinciarum, Parœciarum nomina retinuerit; tamen (quod Gratiani rhapsodiæ clarè indicant) earum usum immutavit, Provinciam partiens in Diœceses, & Parœcias arctissimis Pagorum limitibus circumscribens. Quæ divisio in Ecclesia Anglicana, in hunc usque diem obtinuit. Etenim totum Angliæ Regnum ratione Ecclesiasticæ in eo jurisdictionis dividitur in duas Archiepiscopales Provincias, *Cantuariensem*, & *Eboracensem*; & utraque Provincia in suas Episcopales Diœceses; singulæ propemodum Diœceses, præsertim quæ * majores in Archidiaconatus, (quibus Archidiacoui Episcoporum oculi invigilant) quandoque quartam, sæpe quartâ minùs aut magis amplam Diœcesis partem complectentes: *Decanatus*, quibus præficiuntur rurales Decani antiquis Archipresbyteris non multùm dissimiles, & comprehendentes aliquando decem Parœcias, quas Concilium Chalcedonense *Rurales & Regionales* vocat, sæpius plures, raro pauciores: Deniq; in *Cathedrales*, *Collegiatas* Ecclesias, & *Hospitalia*; quæ Archidiaconatuum & Decanatuum cancellis eximuntur, & tamen concluduntur Episcopalibus Diœcesibus, cùm Episcoporum visitationibus, modò non sint ex Regia fundatione, nec certus alius statuatur visitator, subjiciantur.

Præterea, in singulis ferè Diœcesibus Episcopalibus, sunt Ecclesiasticæ jurisdictiones exemptæ, aut ab Archidiaconatibus, & Diœcesi

* Minores enim aliquot unum tantum habent Archidiaconatum, ut Cantuariensis, Roffensis, Wigornienſis, Glouceſtrenſis, Briſtolienſis, & aliæ.

Episcopali; aut a Diœcesi Episcopali, & Provinciæ Archiepiscopali; vel denique à Provincia Archiepiscopali, & Regiæ Majestati, ratione Appellationum, immediate sunt subditæ. Cæterùm quò Ecclesiastica hæc Regni Anglicani divisio exteris hominibus, meliùs adhuc innotescat, ejus politica in suas partes & membra divisio, paucis repetenda est.

Universum Angliæ Regnum (quo *Walliæ* principatum includimus) dividitur in quinquaginta duos Comitatus, quorum minimus in circuitu habet milliaria plus minus quinquaginta, maximus milliaria plus quàm ducenta: horumque Comitatuum, hæc unà cum numero Parœciarum ijs contentarum sunt nomina: *Cantium* habens 398 Parœcias; *Southsexia* 312. *Surria* 140. *Middlesexia* extra urbem Londinensem, 73. Ipsa vero urbs 101. *Southamptonia* 248. *Dorcestria* 248. *Wilcheria* 304. *Somersetum* 385. *Devonia* 394. *Cornubia* 161. *Essexia* 415. *Hertfordia* 120. *Oxfordia* 208. *Buckingamia* 185. *Bercheria* 140. *Gloucestria* 280. *Norfolcia* 625. *Rutlandia* 47. *Northamptonia* 326. *Huntingtonia* 78. *Bedfordia* 110. *Cantabrigia* 163. *Warwicum* 158. *Leicestria* 200. *Staffordia* 130. *Worcestria* 152. *Salopia* 170. *Herefordia* 176. *Lincolnia* 630. *Notinghamia* 168. *Derbia* 160. *Cestria* 97. *Eboracum* 459. *Richmondia* 104. *Lancastria* 36. *Dunelmensis ager* 62. *Westmoria* 26. *Cumbria* 58. *Northumbria* 40. *Monumethemia* 142. *Glathmorgania* 151. *Radnoria* 43. *Brechinia* 70. *Cardigania* 77. *Carmaridunum* 81. *Pembrochia* 142. *Montgomeria* 42. *Merionithia* 34. *Denbighia* 53. *Flintensis comitatus* 24. *Carnarvinum*

vinum 73. *Denique Angliſey Inſula* 83. Parœcias complectens: ita ut omnes Parœciæ per hos Comitatus ſparſæ ſint 9725.

Jam verò Epiſcopales Diœceſes viginti ſex ſunt, quarum aliquæ per unum, aliæ per duos, nonnullæ per plures iſtorum comitatuum extenduntur. Diœceſis *Cantuarienſis* (eſt enim *Cantuarienſis* tum Diœceſis, tum Provincia; quarum huic ut Archiepiſcopus, illi ut Epiſcopus, præeſt Archipræſul *Cantuarienſis*) cum *Roffenſi Cantium* continet; *Londinenſis Eſſexiam, Middleſexiam*, partemque *Hertfordienſis* comitatus; *Ciceſtrenſis Southſexiam*; *Wintonienſis Southamptoniam* comitatum, *Surriam*, & *Vectem Inſulam*; *Saliſburienſis Wilcheriam*, & *Bercheriam*; *Exonienſis Devoniam* & *Cornubiam*; *Bathonienſis* & *Wellenſis* jam ſimul junctæ *Somerſetum*; *Gloceſtrenſis Gloceſtriam* comitatum; *Wigornienſis Wigorniam* comitatum, & *Warwicenſis* partem; *Herefordienſis Herefordiam* comitatum, & partem *Salopiæ*; *Coventrienſis*, & *Lichfeldienſis* jam vnà copulatæ, *Staffordiam* & *Derbiam* comitatus, & reliquas *Warwicenſis* & *Salopienſis* partes; *Lincolnienſis*, omnium Diœceſeon maxima, comitatus *Lincolniæ*, *Leiceſtriæ*, *Huntingtoniæ*, *Bedfordiæ*, *Buckingamiæ*, & reliquam partem comitatûs *Hertfordienſis*; *Elienſis Cantabrigiam* comitatum, ipſamque *Elis* Inſulam; *Nordivicenſis*, *Norfolciam* atque *Suffolciam*; *Oxfordienſis Oxfordiam* comitatum; *Peterburgenſis Northamptoniam* atque *Rotelandiam*; *Briſtolienſis* civitatem *Briſtoliam* & *Dorceſtriæ* comitatum complectuntur. Et hæ 18 Diœceſes ſunt infra Angliæ confinia: quibus quatuor Walliæ

Diœceses *Menevensis* seu *Sancti Davidis* per *Penbrochiam*, *Carmardinum*, *Cardiganiam*, *Brechiniam*, minorem partem *Glathmorganiæ*, & portiunculam *Monumethemiæ*; *Landavensis* per totam ferè *Monumethemiam*, & majorem partem *Glathmorgamiæ*; *Bencorensis* per *Angliseÿ* Insulam, *Carnarvinum*, minorem partem *Montgomeriæ*; *Assevensis* per *Denbichiam*, majorem partem *Flintensis* comitatûs, *Merionithiam*, partem *Montgomeriæ* dilatatæ, si adjiciantur: habemus omnes infra totum Angliæ regnum Diœceses Provinciæ *Cantuarien-si* subditas.

Reliquæ Episcopales Diœceses, nempe *Eboracensis Eboracum*, & *Notingbamiam* comitatus; *Cestrensis* comitatum *Cestriæ*, *Richmondiæ*, & *Lancastriæ*, partemque *Flint*, & *Denbigh*, in Wallia comitatuum; *Dunelmensis Dunelmensem* comitatum, & *Northumbriam*; *Carliensis Cumbriam* & *Westmoriam* comitatus; Denique *Sodorensis* Insulam Manniæ cingens, Provinciæ *Eboracensi* subjiciuntur. Et hæc Ecclesiastica amplissimi ac florentissimi hujus regni divisio est tanquam basis omnis Ecclesiasticæ Jurisdictionis, quæ in eo hodie sub pio & Serenissimo Monarcha *Jacobo* exercetur, & cujus administratio & politia infrà delineabitur.

CAP.

CAP. II.

Quænam ſint in genere Eccleſiæ Anglicanæ leges Eccleſiaſticæ.

QUemadmodum leges civiles in commodum Reipublicæ, ſic & Eccleſiaſticæ in Eccleſiæ bonum ab initio naſcentis religionis Chriſtianæ extiterunt. Divus Paulus in externis ritibus ad promovendum Dei cultum, hunc tulit Canonem; *Omnia fiant ordine & decenter.* Idem fecerunt & reliqui Apoſtoli, ut ex Canonibus, qui Apoſtolorum dicuntur, apparet; quorum etſi nonnulli ſint manifeſtè ſpurij, aliqui tamen Apoſtolicam ſapere diſciplinam, & puriorem antiquitatem redolere videntur. Ordinarij Apoſtolorum ſucceſſores primævæ Eccleſiæ Epiſcopi, in Conciliis *Ancyrano*, *Neocæſarienſi*, *Gangrenſi*, *Antiocheno*, *Laodicenſi*, *Nicæno* primo, *Conſtantinopolitano* primo, *Epheſino*, plures eundem in finem Canones condiderunt, qui in unam collectionem digeſti, & in ordinem redacti in Concilio Chalcedonenſi, Codex ſeu Corpus Canonum appellantur. Nam hujus Concilij actione decimâ tertiâ, ad dirimendam controverſiam inter quendam Eunomium Nicomedienſem, & Anaſtaſium Nicæum Epiſcopum, *Gloriociſſimi judices dixerunt; Canones legantur. Beronicianus Secretarius divini Conſiſtorii legit ex Codice*, id eſt, collectione canonum ex prioribus Conciliis excerptorum,

& in unum volumen congestorum.

Et hujus Codicis tam eximius in Ecclesiæ regimine erat usus, ut Imperator Justinianus novella 131. illum confirmaverit, & ex eo omnes ferè suas de rebus Ecclesiasticis Constitutiones, mutuatus fuerit. Nec solùm Orientalis Ecclesia, sed etiam Occidentalis (ut divinarum lectionum cap. 23. author est Cassiodorus) usa est eodem Codice ex Latina interpretatione Dionysij Exigui, qui suæ interpretationi Canones qui dicuntur Apostolorum, Sardicense, & Africana Concilia adjecit. Huic postea quædam Romanorum Pontificum Epistolæ à Leone 4. recitatæ, apud Gratianum insertæ sunt. Deinde sequutæ sunt collectiones, & Decreta Burchardi Wormatiensis, Juonis Carnotensis, denique Gratiani, ex variis antiquorum Conciliorum canonibus veterumque Patrum sententiis consarcinata.

An. Christ. 527.

An. 847.
An. 1102.
An. 1131.

Verum in novissimis seculis, unà cum humana pravitate & pervicacia, indies crevère in sacrit causis dissidia, & impostura: & his tollendis, illis sedandis sanctissimi priorum seculorum Canones erant impares. Quare Romani Pontifices suo fastu & ambitione, suprema in totam Ecclesiam, præsertim Occidentalem, jurisdictione potiti, novis contentionibus exortis, more veterum Imperatorum, de jure consulentibus responderunt per decretales epistolas & rescripta: quæ jussu *Gregorij* noni in *Decretalibus*, Bonifacij octavi in *Sexto Decretalium*, Clementis quinti in *Clementinis*, Joannis 22. in *Extravagantibus* sunt reposita. Et hinc tandem natum ingens Juris Canonici

An. 1230.
An. 1295.

nici Corpus, ex his quinque principiis, sacrâ Scripturâ, Canonibus Apostolorum, Conciliorum Constitutionibus, Scriptis Patrum, Pontificum Decretis compositum. In quo cap. 1. Extra. de no. oper. nunciat. hoc unum inter reliqua extat decretum; *Sacrorum statuta Canonum, principum constitutionibus* (quibus Imperatorium jus accensendum) *adjuvantur*; ut *hinc* (inquit Alciatus L. privileg. 12 Codice de sacrosanctis Ecclesiis) *si quid obscurius aut minùs explicatè constitutum sit in jure Canonico, quod apertum in Jure Civili, alterum ad altero interpretationem mutuetur.* An. 1308. An. 1320.

Et sicut Universum canonum Jus, Romanorum Pontificum authoritate fuit stabilitum; sic unaquæque particularis Ecclesia suas peculiares habuit sanctiones: quales fuerunt Constitutiones Nationales Ecclesiæ Anglicanæ à *Joanne de Anthon*, & Provinciales à *Gulielmo Lynwood* in ordinem redactæ, & commentariorum luce illustratæ. Sed tametsi Ecclesiæ Canones in tantam molem excrevissent; tamen quia hominum erant decreta omnes futuros eventus minimè prospicientium, uno vel altero seculo elapso novis diffidiis adaptata, obscura, ambigua, & mutila evaserunt: ut in iis extendendis, & explicandis plurimi doctores insudârint, & immensa volumina ediderint. Celebres in hoc genere doctores & scriptores, ab iis qui in his examinandis judicio pollent, ad quatuor classes ita revocantur: ut in prima classe collocentur *Innocentius* quartus, *Henricus de Segusia* vulgò dictus *Hostiensis*, *Gulielmus Durandus* vulgò *Speculator*: in secunda classe, *Guido de Bayso* vulgò *Archidiaconus*, *Baldus*

Baldus Peruſinus in quinque libros Decretalium; *Joannes Andreæ Bononienſis, Fredericus Senenſis, Paulus de Leazaris, Oldradus, Joannes de Lignano, Ægidius de Bellamera, Bonifacius de Vitalinis:* in tertia claſſe, *Dominicus de S. Geminiano, Joannes Antonius* vulgò *Præpoſitus, Franciſcus de Accolitis, Petrus de Ancharano, Antonius de Butrio, Joannes de Imola, Franciſcus de Zabarellis, Nicolaus de Tudeſchis* vulgò *Abbas* & *Panormitanus, Joannes de Turrecremata, Andreas Siculus* vulgò *Barbatius:* in quarta claſſe *Joannes Sclua, Auguſtinus Berous, Felinus, Philippus Decius, Petrus Rebuffus, Ludovicus Gomezius, Fortunius Garzia, Philippus Francus.*

In his verò Doctoribus & ipſo juris Canonici corpore, ſicut plurima propter æquitatem, juſtitiam, ingenij ſubtilitatem, judicij gravitatem, præclara ſunt; ſic multa occurrunt ad Antichriſtianam tyrannidem, ſuperſtitionem, idolatriam ſtrenuè ſtabiliendam: quæ omnia in Eccleſia Anglicana partim ſtatutis latis in publicis Regni Comitiis ſub *Henrico* octavo, *Edoardo* ſexto, Regina *Elizabetha*; partim novis Eccleſiaſticis Conſtitutionibus eorundem ſtatutorum authoritate ſub fœliciſſimo Reginæ *Elizab.* & Sereniſ. Regis *Jacobi* regimine conditis; partim juribus noſtris municipalibus; denique partim Regiâ prærogativâ, tanquam putrida membra exciſa ſunt & amputata. Etenim 25 *Henrici* octavi, & 1 *Elizabethæ* in publicis Regni Comitijs ſancitum eſt, ut illi duntaxat *Canones, Conſtitutiones & Decreta Synodalia vim obtinerent, quæ antèà in uſu fuerunt, & non ſunt Regni*

ſtatutis

ſtatutis legibus repugnantia, aut Regiæ prærogativæ incommodantia.

Cujus ſtatuti mens quò magis ſit perſpicua, brevi declarandum eſt, quid in eo *Canonum*, *Conſtitutionum*, *legum Regni*, & *prærogativæ Regiæ* nomine intelligatur. *Canones* (ſalvo ſaniore eorum, penes quos eſt ſtatutorum Regni interpretatio, judicio) ſunt jus Canonicum jure civili ubi deficit auctum, ab ejuſdem juris Doctoribus explicatum, & ante latum hoc ſtatutum in noſtris Curijs Eccleſiaſticis uſitatum. *Conſtitutionum* nomine comprehenduntur Nationales & Provinciales Conſtitutiones Eccleſiæ Anglicanæ peculiares, ſimiliter quæ in uſu fuere. Nam plurima ſunt Canonum decreta; quæ Eccleſia Anglicana minimè conſuevit obſervare, qualia ſunt, *Nemo feriâ quinta ieiunet.* c. pervenit. diſtinct. 3. de feriis. *Mulier ad ferendum teſtimonium adverſus Preſbyterum ne admittatur*, 15. quæſt. 3. cap. 3. *Sententia condemnatoria in Epiſcopum non eſt ferenda abſque 72 teſtibus*, 2. q. 5. cap. nullam & alia infinita ejuſdem farinæ, quorum repititio juſtum ferè volumen exigeret. *Regni leges* ſunt jura ejus municipalia, quorum tria ſunt præcipua fulcra; *Primum*, *generales totius Regni conſuetudines*, cujuſmodi ſunt iſta; *Bona quæ legari poſſunt mortuo teſtatore, non ſunt Hæredis, ſed Executoris, quem Teſtator deputavit ad exequendam voluntatis ſuæ extremam ordinationem: Uxor dotem ſuam vivo marito nequit legare: Natus antè Sponſalia ſpurius eſt, & non poteſt eſſe Hæres*, & innumerata id genus alia. Deinde communia principia, quas *Maximas* ſeu *Axiomata vocant*, qualia ſunt iſta; *Præſcriptio*

ſcriptio in feudo non acquirit jus: *Vigilantibus & non dormientibus jura ſubveniunt*, & ſimilia. Poſtremò, *Arbitria & Reſponſa Judicum* graviſſimis rationum momentis innixa: quorum plurima ſcriptis mandata & jam per aliquot volumina diffuſa, ſi perinde Latinâ togâ, ac antiquâ Gallicanâ donarentur; jurium noſtrorum municipalium profeſſoribus, nec deeſſe in cauſis agendis acumen & argumentorum pondera, nec acerrimum in ſtatu cauſæ diſcernendo ferendaque ſententia judicium, exteræ Nationes perſentiſcerent.

Denique *Regia Prærogativa* complectitur ampliſſima privilegia, Regiam Majeſtatem ab uſitata juris normâ eximentia, quæ aliquibus cancellis circumſcribere eſt difficile. Itaq; tandem jus Eccleſiaſticum Anglicanæ Eccleſiæ, comprehendit omnes Canones in vaſto Juris Canonici corpore, à jure Civili (ubi deficiunt) adjutos, per Canonum Doctores explicatos, omneſque conſtitutiones & decreta Nationalia ac Provincialia in Eccleſiaſticis noſtris curiis olim uſitata, quæ nec ſtatutis aut juribus municipalibus Regni, nec nuperis Eccleſiaſticis conſtitutionibus ſtatutorum authoritate conditis repugnant, neque privilegiis Regis incommodant. Ex quibus perſpicere licet, quantos debeant exantlare labores tum in Jure civili tum Canonico, eorumque interpretibus evolvendis, qui Canonum Eccleſiæ Anglicanæ periti eſſe volunt. Et hinc Judices & Advocati in eminentioribus Eccleſiaſticis Curiis Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Cantuarienſ. ad quos ab omnibus inferioribus Curiis Eccleſiaſticis per totam provinciam Can-

Cantuarienſem fiunt Appellationes, juris civilis peritia ne illarum Regionum Cauſidicis quæ hoc ipſo jure reguntur, cedunt: ſed ſi quando in publicis cum aliis Regnis ſœderibus ineundis minutiſſimi *Cæſarei* juris apices veniunt diſcutiendi, cum illorum ſummis profeſſoribus manus valent conferere; quod Regno Anglicano apud exteros honorem non mediocrem conciliat.

CAP. III.

Quam Regis authoritatem in perſonas & cauſas Eccleſiaſticas agnoſcat Eccleſia Anglicana.

AUthoritatem agnoſcit Anglicana Eccleſia Supremam; qua, poteſtatem ut ſtatuat de perſonis & cauſis Eccleſiaſticis pro ſuo arbitratu minimè intelligit, ſed infra ſuas ditiones præeminentiam ſuper omnes Magiſtratus ab omni temporalium pœnarum coactione liberam, ſolique Deo hac ratione ſubditam: quam apud ſecula priora, *Chriſtianorum* nomine Imperatori detulit *Tertullianus*; *Colimus Imperatorem ut hominem à Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem.* Sed tamen hæc poteſtas, non eſt uſque adeò libera, quin quibuſdam cancellis circumſcribatur, qui multiplici authoritate, quæ poteſt eſſe in perſonas & cauſas Eccleſiaſticas, priùs declaratâ, tutius figentur.

Au-

Authoritas circa personas Ecclesiasticas (causas posteà attingemus) versatur aut in illis eligendis & nominandis ad dignitates & beneficia Ecclesiastica, aut manuum impositione sacrandis, aut in pœnis statuendis & infligendis. Deinde, hæc puniendi potestas, vel castigat eos pœnis civilibus, ut carcere, mulctis pecuniariis, morte; vel pœnis Ecclesiasticis, quales sunt, Excommunicatio, Anathematismus. Denique authoritas pœnis civilibus coercens, aut congregat personas Ecclesiasticas ad nationalia et provincialia Concilia, aut eas in pacem Regni & Regiam dignitatem delinquentes, coram Judice civili sistit & condemnat.

Et similiter authoritas in causis Ecclesiasticis secundùm illarum varietatem varia est: & ideò ab ipsarum causarum partitione est auspicandum. Amplissima est dictionis [*causa*] significatio; ut eam jus Cæsareum L. juri. gent. §. Sed cum nusquam D. de pactis, pro re posuerit. Res autem Ecclesiasticæ sunt vel contentiosæ & judiciales, vel non contentiosæ & extrajudiciales. Res contentiosæ & judiciales sunt, quæ per litis contestationem inter actorem & reum, veniunt in disceptationem; & testium, instrumentorum, judicium adminiculis, à legitimo judice definiuntur: cujusmodi sunt lites de Decimis, oblationibus, dissolvendo matrimonio propter præcontractum, de intentatis criminibus Simoniæ, blasphemiæ, hæresis, idolatriæ, adulterij, incestus, &c. Res Ecclesiasticæ non contentiosæ & extrajudiciales, etsi deliberativum, tamen propriè juridicum examen nunquam

quam ſubeunt. Et hæ non ſunt unius ordinis: ſunt enim primæ, vel primarum appendices. Res Eccleſiaſticæ primæ ſunt, quas Deus in verbo ſuo tanquam neceſſarias ad interiorem animi noſtri ſanctificationem docet & præcipit; ut fidei dogmata quorum efficaci notitiâ, & ſacramenta quorum fideli uſu ſalutem adipiſcimur. Horum appendices ſunt externi ritus ac ceremoniæ ordinis & decori cauſâ, qualia ſunt ſtata ad verbum audiendum loca, ſtatæ horæ, genuflexio in precibus apud Deum effundendis & Euchariſtia percipienda, &c.

Jam vero multiplex, in has cauſas ſeu res Eccleſiaſticas authoritas ad hæc capita redigatur. Circa res Eccleſiaſticas non contentioſas & extrajudiciales, eſt authoritas aut eas, ſi fidei dogmata ſint, publicè pro concione docendi, & hominum conſcientiis per exhortationes & redargutiones applicandi; ſi Sacramenta, adminiſtrandi; aut poteſtas de iis ſi fidei ſint dogmata, vel ritus & ceremoniæ, deliberandi, earumque veritatem & aquitatem ſcrutandi juxta divini verbi normam; aut denique authoritas eſt per publicas leges & edicta illas promulgandi & ſtabiliendi, ut has populus fidelis religioſè obſervet & amplectatur. Sic & circa Eccleſiaſticas res contentioſas & judiciales eſt authoritas vel illas, quando per plures ſubordinatas Appellationes ad ſupremum judicium delatæ fuerint, definiendi, vel abſque omni Appellationum medio determinandi, & reos alioſque immorigeros, qui huic tribunali ſe ſiſtere tenentur, carcere & mulctâ pecuniariâ caſtigandi.

Varii

Variis potestatum generibus in personas & causas Ecclesiasticas ita distributis, hæc præcipua in Ecclesia Anglicana Regiæ Majestatis in utrasque jura sunt: & primùm in personas.

Has Regia Majestas, nec manuum impositione ad munera sua Ecclesiastica exequenda consecrat, nec in illas, sicut neque in reliquam plebem censuras Ecclesiasticas, excommunicationem, anathematismum tanquam potestatem * clavium habens denunciat, licèt ut denuncientur imperet at decernat. Hæc enim munia Episcoporum propria sunt, nec magis Regiæ Majestati conveniunt, quàm Ozæ potestas Arcam attrectandi, aut Oziæ adolendi incensum. Veruntamen personas Ecclesiasticas nominat ad beneficia & dignitates: ad has, quando Decano & capitulo concedit facultatem eligendi Episcopum, iisdem nominat idoneum ad Episcopatum quem eligant, & electo regium assensum adhibet: ad illa, quando propter suum supremum jus patronatûs, ex lapsu temporis beneficiorum collatio ad eum devolvitur.

* Nam potestas clavium Matth. 16. est potestas *regni cælorum*, & non *terrarum*, potestas *ligandi & solvendi*. *Solvendi* autem munus (ut docet Apologia Ecclesiæ Anglicanæ) *in eo situm est, ut Ministerdejectis animis, & verè resipiscentibus per Evangelii prædicationem, absolutionem offerat, ac certam peccatorum condonationem ac spem salutis æternæ denunciet: aut ut eos qui gravi scandalo & notabili publicoque aliquo delicto fratrum animos offenderint, & sese à communi societate Ecclesiæ et à Christi corpore quodammodo abalienârint, resipiscentes reconciliet et in fidelium cœtum atque unitatem recolligat ac restituat.* Similiter *ligandi potestatem* (ut eadem ostendit Apologia) minister tum exercet, *quando vel incredulis et contumacibus regni cælorum januam occludit, illisque Vindictam Dei et sempiternum supplicium edicit, vel publicè excommunicatos ab Ecclesiæ gremio excludit.* Atque hoc ex Evangelistis Matth. & Johan. perspicuum est. Potestas enim clavium seu potestas ligandi & solvendi exercenda in exteriori foro Curiæ per excommunicationem, quia *cum Excommunicat Ecclesia, in cælo* (inquit. August. tract. 50. in Joannem) *ligatur excommunicatus;*

nicatus; & potestas clavium in interiori conscientiæ foro per verbi prædicationem Matth. 16. in persona Petri omnibus Apostolis conceditur, seu potius promittitur; *Sicut enim Petrus* (ait Anselmus) *unus pro omnibus respondet, sic Christus in Petro dedit omnibus hanc potestatem*: Et *tibi* (inquit Christus) *dabo claves*, non do. Ubi igitur hæc promissio impletur? Theophylactus docet: *Quamvis Petro soli dictum sit, Tibi dabo claves; omnibus tamen Apostolis concessæ sunt.* Quando? cum dixit, Johan. 20 *Quodcunque remiseritis, &c.* Potestas igitur clavium est potestas remittendi & retinendi peccata, Matth. 16. in persona Petri non Regibus, sed reliquis Apostolis eorumque successoribus Episcopis & Presbyteris promissa, & Johan. 20. iisdem reipsâ donata.

Prius illud jus designandi Episcopos, posterius hoc conferendi beneficia, tanquam major prærogativa minorem in se complectitur: illudque Regia authoritas sibi assumit antiquâ & universâ fere praxi Christianorum Principum. Nam licèt olim primæva Ecclesia admiserit in Episcoporum electione consensum populi, tamen cum hac occasione factiones, schismata, seditiones, Ecclesiæ & Reipublicæ paci admodum exitiosæ a populo sæpiùs concitatæ fuerint; Christiani principes hanc populi potestatem primùm coercuerunt, & tandem penitùs sustulerunt. *Maximiano Episcopo Constantinopolitano vitâ defuncto* (inquit Socrates lib. 7. cap. 40.) *ne controversia & tumultus denuò cieretur, dum adhuc Maximiani corpus insepultum jacêret, Imperator Theodosius per Episcopos qui ibi aderant, Proclum in sede Episcopali collocandum curavit.* Et postea, tempore Pelagii secundi, qui floruit ante annum Christi sexcentesimum, *nihil* ab ipso *Clero* (teste Platina) *in eligendo* Romano *Episcopo actum erat, nisi ejus electionem Imperator approbâsset.* Neque soli Imperatores Romani

mani, Constantinopoli & Romæ hanc Episcopos constituendi authoritatem habuerunt: alii etiam Principes idem factitârunt. In Gallia (si Gregorio Turonensi fides) Theodorus Proculus à Regina Chrodielde, Dionysius Regis Clodovei, Omatus Clodomeri iussu ordinati erant Turonenses Episcopi. Et Hispaniæ Principes ex sexto decreto Toletani Concilii duodecimi, idem planè jus exercuerunt. In Anglia verò Malmesburiensis lib. 1. de gestis Pontif. Ang. de Edovardo Confessore ante Normannorum dynastiam imperante scribit; *Robertum quem ex Monacho Gemeticensi Londonia fecerat Episcopum, Archiepiscopum creavit.*

Atque multo antiquius est jus regium in congregandis conciliis personarum Ecclesiasticarum earumque conventibus religionis causa indicendis, & horum conventuum decretis stabiliendis. Sub veteri fœdere, David, 1. Chron. 13. Sacerdotes Levitas congregavit ad arcam è Kirjath Iearimis in domum Hobed Edom deducendam; Ezechias 2. Chron. 19. imperavit Sacerdotibus, ut sanctificarent domum Jehovæ, quod *secundum præceptum Regis congregati* præstiterunt. Sub fœdere novo Constantinus Magnus primam Nicænam Synodum contra Arianos, Theodosius senior primam Constantinopolitanam contra Macedonii sectatores, Theodosius junior & Valentinianus Ephesinam primam adversus Nestorium, Valentinianus & Martianus Chalcedonensem ad Eutychen damnandum convocârunt; harumque canones authoritate sua imperiali confirmârunt.

Et

Et quos Regia Majestas in vnum congregat, eosdem in Regni pacem & contra Regiam dignitatem delinquentes judicis ciuilis tribunali sistere potest, eosque deponere (sicut Salomon Abiathrum)* & in illos gladio animadvertere. Divus Paulus primus inter Apostolos Act. 25. inquit, *Ad tribunal Cæsaris sto, ὅπου δεῖ με κρίνεσθαι, ubi oportet me judicari*, acsi lege aliqua, vt ad hoc ciuile tribunal staret, necessariò obligaretur. Idem que Paulus, Rom 13. legem ipsam tulit; *Omnis anima potestatibus superioribus subdita esto:* Omnis anima, *etiam si* (inquit Chrysost. in hanc legem) *Apostolus, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta, sive tandem quisquis fuerit.* Quibus potestatibus? *Vectigalia & censum recipientibus, & gladium non frustrat gerentibus*, scilicet, secularibus. Rationem August. in expo. propo. epist. ad Roman. affert; *Cùm animâ constemus etiam nos* (Apostoli, Evangelistæ, Episcopi, aliique Clerici) *& corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus, oportet nos* (non nobis liberum est) *ex ea parte qua ad hanc vitam pertinet subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus.* Et hinc Rex Angliæ ab Episcopis electis & regio ejus assensu confirmatis, *homagij* jusjurandum exigit; eique omnes presbyteri in quæcunque beneficia ecclesiastica instituendi, juramentum fidelitatis præstant.

* Non canonica aliqua degradatione eos ipsa sacerdotali potestate (quam iis minime donavit) quasi privando, sed tantùm externum hujus potestatis in suos subditos infra suas ditiones exercitium inhibendo, sicut Justin. Nov. 6. decrevit, Si patriarcha, Metropolitanus Episcopus, aut Clericus Ecclesiastica decreta violaverit, quòd Sacerdotali officio excluderetur.

Atque ita habemus Regis jura in Ecclesiasticas personas: sequuntur in res & causas. In quas extrajudiciales & non contentiosas Majestas Regia, si fidei dogmata sint, nullam habet authoritatem illa pro concione publicè docendi, aut hominum conscientiis per exhortationes & redargutiones applicandi; nec, si Sacramenta, ea administrandi: tamen de ijs, licèt fidei sint dogmata aut ritus ac ceremoniæ decori & ordini Ecclesiastico inservientes, potest deliberare, & eorum veritatem ac æquitatem ad verbi divini stateram expendere. Etenim Divi Pauli mandatum est, 1. Thess. 5. 21, *Omnia explorate, quod bonum est retinete*; Sancti Iohannis 1. epist. 4. 1. *Probate Spiritus an ex Deo:* quæ omnes Christianos obligant, multò magis Reges, quibus speciali mandato præcipit Deus, Deut. 17. vt *describant sibi legis exemplar, secum habeant semper, legant sedulò, dies noctesque meditentur*, ne cùm sint utriusque tabulæ Custodes, toti ab alieno ore pendeant, ipsique à se nihil dijudicent. In his tamen, Dei quoque præcepto, Num. 27. 21. *os Eleazari* debent *consulere*: & Malach. 2. consilijs vti Sacerdotum, *quorum labia scientiam custodiunt*. Sic Constantinus (ut refert Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 13.) in consessibus Episcoporum, *omnibus animum placidè attendebat, studio ucri prolatas sententias sensim excipiebat, conferebat cum singulis comiter & benignè sermonem, ad veritatem controversam indagandam.* Et postquam Regia Majestas de his rebus vnà cum illarum consultissimis maturè deliberaverit, de eisdem potest condere publica edicta & leges adigentes populum

ad

ad eas religiosè obſervandas & reverenter amplectendas. Ita legem tulit Rex Ninive, Ionæ 3. ut Deus jejunio placaretur: Eſter cap. 9. Eſt. ut feſto honoretur: & de innumeris rebus Eccleſiaſticis ejuſdem ordinis in Codice Theodoſiano à Theodoſio, in Authenticis à Juſtiniano leges latæ leguntur: ut Auguſtinus lib. 3. cap. 51. contra Creſconium meritò aſſeruerit, in hoc *Reges Deo ſervire in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo Regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolùm quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verùm etiam quæ pertinent ad divinam religionem.*

Poſtremò Regia Majeſtas ſibi vendicat jus definiendi lites circa res Eccleſiaſticas contentioſas & judiciales, qualia ſunt intentata crimina blaſphemiæ, perjurij, inceſtus, idololatriæ, ſacrilegij &c. poſtquam per plures ſubordinatas Appellationes ad ſupremum ejus judicium devolvuntur. Nam ad has lites tunc dirimendas, Judices delegatos canonum & juris Eccleſiaſtici peritos per ſummum Angliæ Cancellarium ſub magno ſigillo conſtituit. Neque hoc jus Regum Angliæ nuperum eſt. Nam (ut author Matthæus Paris Anno 1164.) regnante *Henrico* ſecundo, ſic decretum fuit de *Appellationibus*; *Si emerſerint ab Archidiacono, debet procedi ad Epiſcopum, ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, & ſi Archiepiſcopus defuerit in juſtitia exhibenda, ad Dominum Regem perveniendum eſt poſtremò, ut præcepto ipſius in Curia Archiepiſcopi controverſia terminetur, ita quod non debeat ultrò procedi abſque aſſenſu Domini Regis.* Et longe ante *Henrici* ſecundi tempora frequentes erant in ipſa primæva Eccleſia

hujusmodi Appellationes. Annis à Christo plus minus 300. elapsis, quidam Ariani, ut Author Socrates lib. 1. cap. 20. & 21. Athanasium *manu* hominis demortui *ad magicas præstigias usum fuisse*, & Macarium Athanasij presbyterum, quò ipsum Athanasium magis adhuc criminibus gravarent, *in altare insultâsse, mensam Domini evertisse, poculum mysticum confregisse*, apud Imperatorem Constantinum conquesti sunt, qui Episcoporum Synodo Tyri coactæ imperavit, ut judicium de Athanasio exercerent. Coram his igitur comparuit Athanasius, & *accusationem* sibi intentatam absque ullâ *exceptione evitavit*: Sed cum *in calumnijs contra Macarium allatis diluendis, exceptionibus, quas leges præscribunt, usus fuerat*, neque tamen ejus defensionem adversarij admitterent; interposuit Appellationem, & rectà se contulit ad Imperatorem: qui (eodem Socrate lib. 1. cap. 22. teste) Synodum Episcoporum ad se accersendam per epistolam curavit, ut ipse quæ Athanasio objectarentur, accuratiùs examinaret.

Neque Rex Angliæ tantùm, quando ab inferioribus Curijs Ecclesiasticis ad supremum ejus judicium fiunt Appellationes, sed absque omni Appellationum interstitio, authoritatem habet lites commemoratas dirimendi, & in his litibus reos ac immorigeros carcere, & mulctâ pecuniariâ castigandi. Cujus authoritatis exercitium ordinariè quibusdam Commissarijs Ecclesiasticis, inter quos duo Archiepiscopi solent esse primi, demandat, ad ordinariam Episcoporum & Archidiaconorum jurisdictionem ubi deficit, supplendam & corroborandam

corroborandam. Quandoque enim fit ut propter inferiorum judicum ecclesiasticorum negligentiam & conniventiam, aut impiam delinquentium pervicaciam in contemnendis Ecclesiæ censuris, propter illorum fugam ab una Episcopali Diœcesi in aliam, & potentiam in Comitatu ubi degunt, aut criminum atrocitatem, multi ordinariâ Archidiaconorum & Episcoporum jurisdictione, vel non omninò, vel non pro meritis plectantur: qui hac Regiorum Commissariorum potestate per universum Angliæ & Hiberniæ Regnum protensâ, & non modò censuris Ecclesiasticis, sed etiam pœnis temporalibus munitâ, multò ocyus in ordinem rediguntur & acriùs puniuntur.

Neque hoc regium jus antiquitùs erat inusitatum. Josaphat. 2. Chro. 19. *In Hierusalem constituit Levitas & Sacerdotes & Patriarchas ex Israel, ut judicium & causam domini judicarent habitatoribus ejus.* Cujus Ecclesiastici Concilij (quod Græci συνέδριον, & inde Thalmudistæ Sanhedrim nominârunt) hunc in judicijs fuisse ordinem, ex Scripturis, Josepho, Talmudistis collegit doctissimus Sigonius: *Qui nomen deferre alteriùs cupiebat*, (si crimen religionem attingebat) *Pontificem & Principes adibat, reumque denunciabat. Quo facto, illi ministros ad hominem capiendum mittebant; & si res tulisset, cohortem etiam à præfecto impetratam adjiciebant: eumque ad se adductum ferme in carcere, atque in custodia militari habebant, donec de illo judicaretur. Inde universa convocato Concilio opera cognitioni dabatur. Intendebatur autem ab accusatore crimen, & pœna* De Rep. Heb. lib. 6. c. 7.

his verbis; *Judicium tale, vel talis pœna est viro huic, quia hoc aut illud fecit. Repellebatur autem à defensore his; Judicium alicujus pœnæ non est viro huic, quia illud non fecit, aut, quia non injussè fecit. Ubi verò perorata utrinque causa erat, tum judicibus suffragia dabantur, atque ille pro numero sententiarum, aut condemnabatur aut absolvebatur.* Atque idem ferè ordo hodiè in Anglia à Regis Ecclesiasticis Commissarijs in judiciorum suorum processibus observatur.

Sic tandem habemus Regiam in Ecclesia Anglicana authoritatem in personas & causas sacras, quam in hoc Regno vulgò dicunt Ecclesiasticam. Qua appellatione ne Pontificiorum calumnijs occæcati offendantur, operæ pretium erit ejus rationem paucis explicare. Quemadmodum ars vel scientia mutuatur suum nomen, aut ab objecto circa quod versatur, ut scientia Physica à rerum quas contemplatur φύσει; aut ab immediato suo fine seu effecto, ut Medicina à medendo; vel à modo secundum quem occupatur circa suum objectum, ut Metaphysica à supernaturali & abstracta rerum speculatione: sic potestas aliqua dici potest Ecclesiastica, vel propter sacras causas & personas in quas exercetur; vel propter proximum suum finem vel effectum sacrum, qualis est peccatoris justificatio, sanctificatio, totaque animæ salus; aut denique ratione modi secundùm quem versatur circa res sacras, nempe illas pro contione explicando, administrando, & ut sint inviolatæ, spirituali excommunicationis mucrone sacrilegos transfigendo. Jam hæc Regia potestas

(cujus

(cujus in hoc capite recensentur jura) in Ecclesia Anglicana usitate nominatur Ecclesiastica, non quod proximus ejus finis, seu immediatus effectus sacer sit & spiritualis, cùm peculiaris presbyterorum prærogativa sit divini verbi & Sacramentorum ministerio penetrare in hominum animas, illasque, spiritu cooperante, sanctificare: neque Ecclesiastica est ratione modi secundùm quem circa res sacras occupatur; illas enim minimè præstat sartas tectas, de iis concionando, eas proprijs manibus fideli populo distribuendo, excommunicationis sententiam tanquam clavium potestatem habens pronunciando: Sed hanc tantum decernendo (sicut *Theodosius* junior, & *Valentinianus* in Codice Justinianeo sanxerunt, ut Nestoriani anathematizentur) & externa pœnarum civilium vi, profanos hujus censuræ & istarum rerum violatores coercendo. Atque hanc declarationem anno 1562. nationalis Archiepiscoporum, Episcoporum & universi Cleri Anglicani Synodus in publica fidei confessione ab ijs unanimi consensu edita, tradidit his verbis; *Cum Regiæ Majestati summam gubernationem tribuimus omnium statuum, sive illi Ecclesiastici sint, sive Civiles, & in omnibus causis: Non damus Regibus nostris aut verbi Dei aut Sacramentorum administrationem; (quod etiam Injunctiones ab Elizabetha Regina nostra nuper editæ apertissimè testantur) sed eam tantùm prærogativam quam à Sacris Scripturis, & à Deo ipso, omnibus pijs Principibus videmus semper fuisse attributam: hoc est, ut omnes Status atque Ordines fidei suæ commissos, sive illi Ecclesiastici sint, sive Civiles,*

in

in officio contineant, & contumaces ac delinquentes gladio civili coerceant.

CAP. IV.

Archiepiſcoporum in Anglia dignitas & poteſtas.

A Poſtolorum ætate omnes ferè Eccleſiæ in urbibus & oppidis frequentioribus ab iis plantatæ plures habuerunt Presbyteros. Divus Paulus Actor. 20. nuncijs à Mileto miſſis Epheſum, celebrem urbem, non unum ſed plures hujus *Eccleſiæ Presbyteros accersivit*, His autem Presbyteris unus è reliquis, externæ politiæ causâ, , & ut omnia fierent ordine, præficiebatur. Sic in Eccleſia Epheſina modò nominata, Presbyterorum qui ibi fuere cœtui unus præfuit, quem Chriſtus ipſe Apocal. 2. appellat hujus Eccleſiæ * *Angelum*, & ad illum ſcribit quæ ex illo reliqui Presbyteri ei ſubditi ediſcerent. Atque hic eſt quem in primæva Eccleſia hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epiſcopum nominant. Cornelius Epiſcopus Romanus, Anno Chriſti 254. apud Euſeb. lib. 6. cap. 42. ad Novatum ſcribit, eum ignoràſſe

* *Si Dominus verba hæc de Angelo ſuperiorum cælorum, & non de Præpoſitis Eccleſiæ vellet intelligi, non conſequenter diceret; Sed habeo adverſum te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque unde excideris & age pœnitentiam. Hoc de ſuperioribus Angelis dici non poteſt, qui perpetuam retinent charitatem, unde qui defecerunt & lapſi ſunt, Diabolus eſt, & Angeli ejus.* Auguſt. Epiſt. 162. Quamobrem divina voce laudatur ſub Angeli nomine Præpoſitus Eccleſiæ.

ad Chriſti honorem * minuendum, ſed contra Neſtorium aſſerendum congregatis, Archiepiſcopus vocatur) integra Diœceſis plures provincias & ideo Metropolitanos continens, traditur *gubernanda*. Et Concilij Chalcedonenſis canone 13. decernitur; *Si quis a ſuo Epiſcopo vel Metropolitano injuriâ afficiatur, apud Exarchum ſeu Primatem Diœceſeos litiget.*

* Nam hi Patres, antiquæ Diœceſis Epiſcopum Ἀρχιεπισκόπου titulo inſignientes non magis Chriſtum ſuo honore ſpoliârunt, quàm D. *Paulus*, 1 Cor. 3. 10. ſe ἀρχιτέκτονα nominans.

Verùm etſi noſtri hodie *Archiepiſcopi* & *Primates* in Anglia ſolùm Epiſcopos habent ſibi ſubditos; tamen inſigniuntur tùm *Archiepiſcoporum* & *Primatum* titulis, tum horum perindeac *Metropolitanorum* officiis funguntur. Quæ officia unà cum illis privilegiis & dignitatibus, quibus ad poteſtatem ſuam ſpiritualem contra homines impios & profanos muniendam ex Chriſtianorum Regum clementia, aut Regni ſtatutis & jure municipali, aut recentiore jure Eccleſiaſtico potiuntur, jam ordine ſunt deſcribenda.

Ab illorum honoribus ac dignitatibus exordium ſumendum, quæ quidem ſunt ampliſſimæ: & vel utrique Archiepiſcopo communes, ut habere titulum *clementiæ*, quam Anglicè **Grace** vocamus, præcedentiam ſupra omnes Duces Regni, immunitates, libertates in latifundiis propriis: vel alterutri peculiares, quales ſunt; Eboracenſi, habere præcedentiam ſupra omnes Officiarios, præter Dominum Cancellarium; Cantuarienſi, tanquam Primo *Pari* Regni, præcedentia uti præ omnibus magnis Officiariis, inaugurare Regem in Coronatione, reditus ſuorum fundorum qui jure Hominij de ſe tenentur, recipere,

dum

râsse, in *Catholica Ecclesia* suæ Curæ mandata, *Presbyteros esse quadraginta sex, & unum debere esse Episcopum.*

Postea Ecclesiâ per plures urbes & regiones diffusâ; Episcopi numero aucti, Metropolis sive primariæ in illa provincia quam incolebant, urbis Episcopum, ad Christianam unitatem fovendam suum elegerunt Metropolitanum: cujus regimini ita se submiserunt, ut patres Concilii Antiocheni Anno 341. celebrati, canone 9. statuerint, ut Episcopi secundum *antiquum à Patribus constitutum canonem nihil magni momenti sine ipso agerent, & ipse curam & solicitudinem totius Provinciæ susciperet.* Et ita cum per plures Romani Imperii provincias Christiana Religio & disciplina essent propogatæ, plures tandem Metropolitani extiterunt.

Sed quia Romanum Imperium (ut supra capite primo ostensum est) divisum fuit in diœceses, quarum singulis aliquot Provincias complectentibus Imperator suos principes Magistratus, in jure Cæsareo Præfectos & Comites appellatos, præficiebat: Inde factum est, ut Episcopi illarum urbium in quibus hi diœceseôn Comites residebant, (statu Ecclesiastico statum civilem imitante,) creverint pòtestate. Nam obtinuerunt, ut *Exarchi, Primates, Patriarchæ, Archiepiscopi* indigitarentur; & ut *Metropolitani* Provinciarum suæ diœcesis, ipsis parèrent, quemadmodum Episcopi Metropolitanis. Concilii Constantinopolitani anno 383. congregati canone 2. *Diœcesis* (non provinciæ) Episcopo (qui ab Oecumenici Concilii Ephesini patribus, non ad

dum Hæres minor est 21. annis, etiamsi alios fundos in *Capite* de *Corona* teneat. Istiusmodi honores legimus Archiepiscopis antiquitus delatos à Christianis Imperatoribus, qui teste Codice Justinianeo, annis abhinc mille ferè ducentis, illos Præfectis Prætorio summis Imperii Magistratibus, civili dignitate exæquarunt.

Hujus generis plura occurrunt in ipsis purioris antiquitatis monumentis, quibus supersedemus, & aggredimur Ecclesiastica. Quorum nonnulla (sicut & seculi honores quos attigimus) sunt utrique Archiepiscopo communia, cujusmodi sunt in eorum ordinatione, si non fuerint priùs Episcopi, ut consecrentur à quatuor Episcopis; si fuerint, ut eorum electio à totidem Episcopis confirmetur. Post ordinationem, quatenus sunt *Metropolitani*, ut electiones Episcoporum suæ provinciæ confirment, eosque unà cum duobus aliis Episcopis consecrent, consecratorum in regimine Episcopali defectus & negligentias suppleant, iisque infirmis coadjutores assignent; Provinciales Synodos juxta rescriptum Regium convocent, convocatas moderentur, ultimum in ijs ferant suffragium: in quantum sunt *Archiepiscopi*, ut recipiant Appellationes, ijsque rescribant interpositis ab Episcopis suis suffraganeis, totam suam *Privinciam* juxta leges & consuetudines visitent: In eo quod *Primates* & Primores *Patriarchæ*, Appellationes admittant ab inferioribus Judiciis, etiam omisso medio, vacante quâvis Archiepiscopalis suæ Provinciæ sede Episcopali, custodiam habeant Ecclesiasticæ jurisdictionis ad eam spectantis.

tis. Porrò, uterque Archiepiscopus ipso jure hujus Regni Municipali, hanc in rebus Ecclesiasticis habet *Prærogativam*, ut approbet & insinuet testamenta, concedat ab intestato succedentibus administrationes bonorum cujuslibet habentis mortis tempore, in diversis provinciæ suæ diœcesibus vel jurisdictionibus *bona notabilia*. 1. juxta recentiores Ecclesiæ canones, bona ad summam quinque librarum ad minus. Atque præter hæc, quædam sunt Privilegia Archiepiscopi Cantuariensis propria: ut quòd quilibet Episcopus ab ipso confirmatus exhibeat unum Capellanum, donec sufficiens aliquod ei beneficium prospexerit; & quia ipse totius Anglicæ *Primas* est, *literas tuitorias* concedat, per quas ei qui appellaverit absque molestia interea ei exhibenda, Appellationem suam prosequi liceat. Postremò, ex Regni statutis, necessitatis aut majoris utilitatis causa, (summaria hujus, tùm illius cognitione prius habita) * gratiam facit Canonum aliarumque legum Ecclesiasticarum per universum Angliæ Regnum. Qua etiam potestate designat *publicos Notarios*, qui, licèt singulares, hoc nomine sunt in testimonio perhibendo instar duorum testium; dispensat cum valetudinariis, puerperis, senio confectis, ægrotis, ut carnibus diebus quibusdam ob politicas solùm rationes vetitis vescantur; cum nupturis, ut matrimonium celebrent, etsi trinundina ejus denunciatio non præcesserit; in causis beneficialibus, ut irregularitas absque dolo malo contracta, & Simoniacus quandoque ambitus aboleantur, ut beneficium vacans fiduciario titulo (quam *Commendam*

* Communia jura rebus in genere consideratis adaptata in ijsdem rebus per particulares circumstantias determinatis secundum æquitatem subeunt relaxationes, & privilegia singularia admittunt: Cùm *Privilegium.* (Paul. digest. de legib.) *sit singulare jus contra tenorem rationis*, tantum per exceptionem, & non oppositionem, *propter aliquam utilitatem authoritate constituentium introductum.*

dam vocant) ad tempus vel durante vita concedatur, filius in beneficio patri immediatè possit succedere, beneficiatus ad aliquod tempus (ob gravem aliquam causam) residere non teneatur, sed per alium idoneum deservire, Laicus literis operam navans prebendam possit retinere, Sacris initiatus & juxta leges ac statuta regni idoneus, duo beneficia curata intra certam distantiam, quò commodiùs in utrisque munus suum obeat, non curata absque distantia possit retinere; præparatus ad sacros ordines queat ordinem diaconatùs & presbyteratùs simul & tempore non statuto suscipere; Denique in omnibus causis verbo Dei non repugnantibus, modò solitæ fuerint in Curia Romana obtineri.

In his omnibus, ne quid detrimenti capiat Ecclesia, fideliter administrandis, etsi nostri hodie Reverendissimi Archiepiscopi (præsertim Cantuariensis, quia ampliorem habet provinciam, & à secretioribus consiliis Regi est) perpetuis Regiminis occupationibus plurimùm sint districti; tamen singulis per totum annum diebus dominicis, maximo cum audientium fructu, & Archiepiscopalis sui ordinis honore sacrosanctum Christi Evangelium sedulò concionantur.

Atque cuncta ferè hæc ampliſſima munera, vel saltem eorum præcipua, primævæ Ecclesiæ Patriarchæ, Primates, Metroplitani exercuerunt. Nam imprimis Episcoporum suæ Provinciæ electiones confirmârunt, cum canone 6. Nicæni Concilij primi, Imperatoris authoritate stabiliti decretum sit, *Si quis præter sententiam Metropolitani factus sit Episcopus*,

pus, eum non opertere eſſe Epiſcopum. Deinde unà cum alijs ſuæ provinciæ Epiſcopis novos Epiſcopos conſecrârunt: Concilij enim Antiocheni can. 19. *Epiſcopus non potuit ordinari abſque Synodo Epiſcoporum per Metropolitani literas congregata, & ipſius Metropolitani præſentiâ.* Præterea Concilia etiam Nationalia Imperatorum Chriſtianorum juſſu ipſi Patriarchæ indixerunt. Leo primus Romanorum Patriarcharum non humillimus, Turibium facit certiorem, *ſe dediſſe literas ad fratres ſuos & coepiſcopos, ijſque Concilium Synodi generalis,* * (1. Non verè Oecumenici ſed Nationalis) *indixiſſe.* Sed hanc Synodum illum Imperatoris authoritate congregâſſe conſtat ex ejus 24. Epiſt. ad Theodoſium, ad quem ſimili occaſione ita ſcribit; *Omnes, omnes Manſuetudini veſtræ cum gemitibus, & lachrymis ſupplicant Sacerdotes, ut generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari.* Denique Primates receperunt Appellationes à ſuæ Diœceſeos Metropolitanis: Nam Concilij Chalcedonenſis canone 12. decretum eſt; *Si quis à ſuo Epiſcopo vel Metropolitano injuriâ afficiatur, apud Exarchum ſeu Primatem Diœceſeos litiget.* Quamobrem æqui rerum æſtimatores Archiepiſcopalem noſtram in Anglia *Hierarchiam,* non tam ab Antichriſtiana & Papali tyrannide fuiſſe derivatam, quam ab ea vindicatam, & quâ fuerunt diſpares diverſarum ætatum, locorum, & rerumpublicarum conditiones, primævæ Eccleſiæ praxi reſtitutam, vel conniventibus oculis perſpiciant.

* Eâdem notitione Concilia Toletana generalia & univerſalia vocantur Concilio Toletano. 3. cap. 18. *Præcepit hæc ſancta et univerſalis Synodus.* Toleta. 4. in exordio, *Quoniam Concilium generale agimus.*

CAP.

CAP. V.

Episcoporum in Ecclesia Anglicana Potestas & munera.

MIsericors noster Servator Christus postquam suis hostibus potenter domitis in Cœlum ascendisset, dona sua variè distribuit in communem corporis sui mystici, id est Ecclesiæ, utilitatem. Ad Ephes. 4. *Dedit alios Apostolos*, id est, interprete Ambrosio * *Episcopos*; *alios Prophetas*, pollentes dono vaticinandi de futuris; *alios Evangelistas*, Apostolorum Comites, & adjutores in Ecclesiis plantandis, qui propterea omnes (ut inquit *Chrysostomus*) obibant regiones; *alios Pastores, & Doctores*, inferiores (ut *Chrysostomus* docet) Evangelistis, quia in uno loco erant occupati, immò & in eodem munere: non enim (inqnit *August.* Epist. 59.) *alij sunt Pastores, alij Doctores*, sed cum Divus Paulus *prædixisset* [*Pastores,*] *subjunxit* [*Doctores,*] *ut intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam, ad concinnationem integram* (non tamen uno, sed suo cujusque tempore) *sanctorum, ad opus ministerij.*

* Nam sicut Joannes Baptista, Matth. 11. 9. erat *plus quàm Propheta*, tamen Matth. 21. 26. *Propheta erat*; Sic Apostoli plus quàm Episcopi erant, tamen Episcopi extiterunt. Cyprianus Epist. 65. admonens Diaconos, ut Episcopis sint morigeri, sic ait; *Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos Dominus elegit, Diaconos autem post ascensum Domini in Cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ Ministros.* Etenim potestas imponendi manus & excommunicandi penes Apostolos erat; qui initio Ecclesiæ propagandæ, ne discipulorum suorum honori potiùs quàm fidelium conversioni studere viderentur, illam ad tempus sibi retinuerunt, donec (ut docet Hieronymus in Epist. ad Titum)

pus, eum non opertere eſſe Epiſcopum. Deinde unà cum alijs ſuæ provinciæ Epiſcopis novos Epiſcopos conſecrârunt: Concilij enim Antiocheni can. 19. *Epiſcopus non potuit ordinari abſque Synodo Epiſcoporum per Metropolitani literas congregata, & ipſius Metropolitani præſentiâ.* Præterea Concilia etiam Nationalia Imperatorum Chriſtianorum juſſu ipſi Patriarchæ indixerunt. Leo primus Romanorum Patriarcharum non humillimus, Turibium facit certiorem, *ſe dediſſe literas ad fratres ſuos & coepiſcopos, ijſque Concilium Synodi generalis,* * (1. Non verè Oecumenici ſed Nationalis) *indixiſſe.* Sed hanc Synodum illum Imperatoris authoritate congregâſſe conſtat ex ejus 24. Epiſt. ad Theodoſium, ad quem ſimili occaſione ita ſcribit; *Omnes, omnes Manſuetudini veſtræ cum gemitibus, & lachrymis ſupplicant Sacerdotes, ut generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari.* Denique Primates receperunt Appellationes à ſuæ Diœceſeos Metropolitanis: Nam Concilij Chalcedonenſis canone 12. decretum eſt; *Si quis à ſuo Epiſcopo vel Metropolitano injuriâ afficiatur, apud Exarchum ſeu Primatem Diœceſeos litiget.* Quamobrem æqui rerum æſtimatores Archiepiſcopalem noſtram in Anglia *Hierarchiam*, non tam ab Antichriſtiana & Papali tyrannide fuiſſe derivatam, quam ab ea vindicatam, & quà fuerunt diſpares diverſarum ætatum, locorum, & rerumpublicarum conditiones, primævæ Eccleſiæ praxi reſtitutam, vel conniventibus oculis perſpiciant.

* Eâdem notitione Concilia Toletana generalia & univerſalia vocantur Concilio Toletano. 3. cap. 18. *Præcepit hæc ſancta et univerſalis Synodus.* Toleta. 4. in exordio, *Quoniam Concilium generale agimus.*

CAP.

CAP. V.

Epiſcoporum in Eccleſia Anglicana Poteſtas & munera.

MIſericors noſter Servator Chriſtus poſtquam ſuis hoſtibus potenter domitis in Cœlum aſcendiſſet, dona ſua variè diſtribuit in communem corporis ſui myſtici, id eſt Eccleſiæ, utilitatem. Ad Epheſ. 4. *Dedit alios Apoſtolos*, id eſt, interprete Ambroſio * *Epiſcopos*; *alios Prophetas*, pollentes dono vaticinandi de futuris; *alios Evangeliſtas*, Apoſtolorum Comites, & adjutores in Eccleſiis plantandis, qui propterea omnes (ut inquit *Chryſoſtomus*) obibant regiones; *alios Paſtores, & Doctores*, inferiores (ut *Chryſoſtomus* docet) Evangeliſtis, quia in uno loco erant occupati, immò & in eodem munere: non enim (inquit *Auguſt.* Epiſt. 59.) *alij ſunt Paſtores, alij Doctores*, ſed cum Divus Paulus *prædixiſſet* [*Paſtores,*] *ſubjunxit* [*Doctores,*] *ut intelligerent Paſtores ad officium ſuum pertinere doctrinam, ad concinnationem integram* (non tamen uno, ſed ſuo cujuſque tempore) *ſanctorum, ad opus miniſterij.*

* Nam ſicut Joannes Baptiſta, Matth. 11. 9. erat *plùs quàm Propheta*, tamen Matth. 21. 26. *Prophetа erat*; Sic Apoſtoli plus quàm Epiſcopi erant, tamen Epiſcopi extiterunt. Cyprianus Epiſt. 65. admonens Diaconos, ut Epiſcopis ſint morigeri, ſic ait; *Meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt, Epiſcopos Dominus elegit, Diaconos autem poſt aſceuſum Domini in Cœlos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ Miniſtros.* Etenim poteſtas imponendi manus & excommunicandi penes Apoſtolos erat; qui initio Eccleſiæ propagandæ, ne diſcipulorum ſuorum honori potiùs quàm fidelium converſioni ſtudere viderentur, illam ad tempus ſibi retinuerunt, donec (ut docet Hieronymus in Epiſt. ad Titum)

Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo. Tunc enim Apostoli hanc potestatem quibusdam Presbyteris eminentioribus, quos scriptores Ecclesiastici appellant Episcopos, tradiderunt. Et ideo idem Hier. loco citato dicit Episcopos magis *Ecclesiæ consuetudine* ab ipsis Apostolis introducta, (per quorum *traditiones*, inquit ille Epist. ad Evagrium, *sumptas de veteri testamento, quòd Aaron & filij ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, Presbyteri, & Diaconi vendicant in Ecclesia) quàm dispositionis dominicæ veritate*, id est, immediato Domini Salvatoris præcepto *Presbyteris esse majores, et in communi debere Ecclesiam regere*; (non authoritate, quia hæc Episcoporum propria est, sed consilio, quoniam, cum salus sit in multitudine consiliariorum, Presbyterorum consilium adhibere Episcopos oportet, quando publicum Ecclesiæ bonum, hoc postulaverit;) *imitantes Mosen qui cùm haberet in potestate solus præsse Populo Israel, Septuaginta tamen elegit, cum quibus populum judicaret.*

Inter quos sacros Dei ministros, Apostoli sicut ordine, sic authoritate erant primi; quippe quorum hæ prærogativæ, hæc munera numero plura, dignitate amplissima, in novo Testamento recensentur. Vocati erant non *ab hominibus, neque per* † *homines, sed per Iesum Christum*, (ad Galatas 1.) à quo legati erant in universum orbem, ad omnes nationes, *omnes gentes edocendas*; (Matth. ultimo.) *Spiritu Sancto deducente in omnem veritatem* ita afflati, ut in doctrina cœlesti tradenda, quam (ad Galat. 1.) *acceperunt per revelationem Iesu Christi*, labi non potuerint; admirabili edendorum miraculorum potestate prædi-

† Nam immediatè vocati sunt à Deo, ut constat Act. 1. ubi Apostoli, non Discipulorum multitudo (ut ex ipso contextu probabile est) *statuerunt duos, Joseph et Matthiam*) ut alter eorum fieret una cum illis *testis resurrectionis Christi*: & Apostoli orantes dixerunt; *Domine qui corda omnium nosti, ostende utrum elegeris ex his duobus, ut accipiat sortem ministerij hujus Apostolatus*, quibus verbis declarant electionem ad Apostolatum non ab hominum suffragijs, sed immediatè à Deo dependere; licet eodem capite *Matthias* postquam à Deo per sortes jam ad Apostolatum electus esset, à Discipulis agnitus est pro Apostolo, & *cum undecim annumeratus.*

prædíti ad convertendos Infideles, ad confirmandos fideles, redarguendos contradicentes, denique castigandos immorigeros. Sed hæc omnia in Apostolis erant *extraordinaria*, ad Ecclesiam novam plantandam, & maximis angustiis conclusam, dilatandam necessaria. Reliqua eorum munera ad Ecclesiam, donec omnes suas rugas, & maculas deposuerit, regendam & sustentandam sunt permansura; divini nempe verbi prædicatio, sacramentorum administratio, manuum impositio, & clavium potestas in foro exteriori. Quorum duo priora, quia sunt *ordinaria* Spiritûs sancti instrumenta, & *quotidiana* organa, quibus Deus omnium hominum salutem operatur; Apostoli omnibus Pastoribus & Presbyteris commiserunt: posteriora, quæ faciunt ad Ecclesiam gubernandam, quo vitarent ataxiam multitudinis regimen comitantem, quibusdam eminentioribus presbyteris, quos Ecclesia postea vocavit Episcopos, delegarunt.

Titus, cum individuus Apostolorum ab una regione in aliam ad novas Ecclesias plantandas migrantium comes ac Evangelista esse desierat, & Ecclesiæ commodo id exigente, Cretæ affigeretur; eum, D. Paulum hujus Insulæ Episcopum constituisse, antiquissimi Patres & Historiæ Ecclesiasticæ (quibus, in quæstionibus facti apud priora Ecclesiæ secula proximè post sacram paginam fides meritissimò debetur) quasi unanimi consensu tradiderunt. Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 4. *Titus Cretensium Ecclesiarum Episcopatum sortitus.* Hieronymus seu Sophronius, qui videtur omnia Ecclesiasticæ antiquitatis monumenta diligenter

genter perlustrasse, in Catalogo Ecclesiasticorum Scriptorum; *Titus Episcopus Cretæ à Divo Paulo ordinatus est.* Chrysostomus Præfatione in primam ad Timotheum, rationem assignans quare B. Paulus, ex omni Discipulorum numero ad Titum duntaxat & Timotheum Epistolas scripserit, cùm Silas & Lucas ei quoque in disciplinam se tradidissent; hos, (inquit) *Evangelistarum munere fungentes secum adhuc circumducebat:* illis *Ecclesiæ gubernacula curamque tradiderat.* Et ideò *homiliâ* 10. in eandem Epistolam, omnia * præcepta ad Titum & Timotheum scripta, *tanquam omnibus Episcopis dicta intelligit.*

* Paulus (inquit Chrysostomus) *de Episcopatûs officio dicturus, indicat cujusmodi esse Episcopum deceat; neque id quasi Timotheum admoneus dicit, sed ut omnibus simpliciter loquens, ac per illum quid convenint omnibus dictans.*

Inter hæc verò, præcipuè duo sunt, quibus Titus in Ecclesia Cretensi ad Episcopi munus ritè obeundum instruitur. Primum ad Titum 1. 5. *Reliqui te in Creta, ut constituas oppidatim Presbyteros.* Ad quæ verba Ambrosius, *Titum Apostolus consecravit Episcopum; & ideò commonet eum, ut sit sollicitus in Ecclesiastica ordinatione.* Alterum præceptum, ad Titum 1. 5. *Constitui te Cretæ ut quæ desunt corrigas:* & ejusdem Epist. 3. 15. *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem devita*; ex gregis numero, ad tempus, donec resipiscat, ejice per excommunicationis censuram. Nam hæreticus, præsertim pertinax, est *Animal scabiosum* (ait Hieronymus, in 5. ad Galatas) *à caulis ovium repellendum*: est morbida ovis quam (inquit Augustinus lib. de corrept. & gratia) *separare ab ovibus sanis pastoralis habet necessitas, ne per plures serpant dira contagia.*

Neque

Neque hæc excommunicandi potestas in solo fuit Episcopo Tito: trecentis fere post Titum annis, Concilii Antiocheni Canon sextus decernens, *Si quis à proprio Episcopo fuerit excommunicatus, ne prius ab aliis suscipiatur, quàm suo reconcilietur Episcopo*; illa ætate excommunicandi potestatem fuisse penes Episcopos, clarè indicat. Et non modò Titu à Paulo, sed alii ab aliis Apostolis instituti sunt Episcopi. *Habemus annumerare eos* (inquit antiquissimus Pater Irenæus lib. 3. cap. 3.) *qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & Successores eorum usque ad nos.* Sic (eodem Irenæo teste) à Joanne Polycarpus ordinatus est Episcopus Smyrnæ: & à duobus Apostolis, Petro & Paulo, postquam fundassent & instituissent Romanam Ecclesiam, ejus Episcopatus fuit traditus Lino; cui, dum Joannes Apostolus esset in vivis, Clemens & Anacletus Episcopi successerunt.

Atque ab his potestas Episcopalis in Romanam Ecclesiam invecta, ad nostra usque tempora in ea permansit. Etenim licèt Ecclesia Romana jam olim defecerit, & Babylonica Meretrix, Mater spiritualium fornicationum facta fuerit; in ea tamen hæc authoritas penitùs non interiit: quia à Christo ejusque Apostolis per plures hominum successiones continuata, si incidat in hæreticos, idololatras, omni flagitiorum genere coopertos, non aboletur. Sotus in 4. sententiarum, non infimus Meretricis Babylonicæ leno, hoc ipsum liberè fatetur: *Hæretici quicunque etiam præcisi, quamvis non ab Ecclesia priùs legitimè, sed ab hæreticis fuerint promoti; verum Ordinis*

Sacramentum, ſi id attentent, utique conferunt. Quam doctrinam hauſit ex Aquinate ad eundem ſententiarum librum ſic ſcribente; *Præciſi ab Eccleſia qui in Eccleſia Epiſcopalem poteſtatem habuerunt, retinent poteſtatem alios ordinandi & promovendi, & promoti ab iis eandem retinent poteſtatem.* Ratio in aprico; ipſius Dei & Chriſti eſt poteſtas, (*neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed Deus qui dat incrementum*) quam hominum illam adminiſtrantium peccata non faciunt magis irritam, quàm flagitioſus Legatus ſui principis authoritatem ſibi delegatam diminuit. Non enim eſt (ut loquuntur Scholæ) *gratia gratum faciens* (cum quâ hæreſis & impietas minimè cohabitant,) *ſed gratia gratis data*, non ſemper eam habenti, ſed aliis ſanctificandis deſtinata. Hinc Sacerdotale munus ab Aarone per innumeras hominum ſæpe ſceleratiſſimorum & idolatricorum ſucceſſiones ad Chriſti tempora tranſmiſſum manſit inviolatum; ut ei ipſe Chriſtus ſe ſubmiſerit, & aliis ſe ſubdere præceperit. Atque pari ratione Epiſcopalis poteſtas, ab Apoſtolis & primævæ Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis, per impuriſſimos ejuſdem cœtus (poſtquam Antichriſtiana Babylon evaſit) canales in noſtras Eccleſias limpida effluxit: quemadmodum, narrante Plinio, amnis Alphæus Peloponeſiaco littore merſus per longiſſimum ſub mari tractum in agri Syracuſani fontem Arethuſam means, ne vel leviuſculam ſalſuginem contrahit. Quamobrem etſi Epiſcopalis authoritas hodie in Eccleſia Anglicana à Romana proximè (ſed non primitùs) dimanaverit; tamen vera & legitima

ma cenſenda eſt. Cujus varia munera, quà vel ab Apoſtolis aut Eccleſiâ inſtituta, vel quà à ſeculari poteſtate propter malitiam hominum jura ſacra nullis mundanis ſuppetijs & honoribus externis ſuffulta contemnentium, Epiſcopis in Anglicana Eccleſia fuerint conceſſa; ordine recenſebimus.

Poſtquam Regis licentiâ & mandato, Epiſcopi in Anglia à Decano & capitulo Cathedralium Eccleſiarum infra Diœceſes, quibus præficiendi ſunt, eliguntur; illius aſſenſu electi comprobantur; comprobati confirmantur; confirmati conſecrantur; & cum conſecrati *homagij* juramentum Regi præſtiterint; & Rex illis viciſſim ſuorum Epiſcopatuum poſſeſſiones reſtituerit: in ipſa republica Anglicana, non aliquâ à Chriſto delegatione (cujus * Regnum ſpirituale eſt, miniſterio clavium regni cœlorum & ſpiritu imperans; & *non ex hoc mundo* ſeu temporale, externa vi ac gladio coërcens, unde Luc. 22. Apoſtolis ſuis eorumq; ſucceſſoribus Epiſcopis ratione Spiritualis poteſtatis, quam ab ipſo acceperant, omne temporale Dominium interdixit:) ſed libera principum donatione, his honoribus potiuntur.

* *Ipſe vero dixit eis, Reges Gentium dominantur eis, & qui authoritatem habent in eos, benefici vocantur: vos autem non ita. Non licebit igitur Epiſcopo Eccleſiæ externum adminiſtrare dominatum? Exiſtimabant Apoſtoli, quòd quia eſſent Apoſtoli Chriſti, idcirco deberent invadere Regna hujus mundi, & in hoc mundo dominari, Chriſtus autem damnat hoc loco falſam Apoſtolorum opinionem, et docet, nihil minus Apoſtolos et Epiſcopos Eccleſiæ decere, quàm ut prætextu Apoſtolatûs et Epiſcopatûs occupent externa regna. Nihilominus ipſos Eccleſiæ Epiſcopos non vetat habere externam dominationem: viz. ſi ad hanc vel hæreditaria ſucceſſione, vel electione, vel donatione, vel aliis legitimis mediis pervenerint. Difficillimum quidem eſt ſimul miniſterium prædicandi Evangelii in Eccleſia rectè perficere et externum regnum adminiſtrare; per ſe tamen non eſt impium, retinere unà cum miniſterio Eccleſiaſtico externam Dominationem. Quare habeant ſanè vel Romani Pontifices eam Majeſtatem, quam publicis et legitimis ordinationibus ac conſenſu Monarcharum poſſident; ſed quòd uſurpent ſibi poteſtatem ſuper Reges et Principes prætextu officij ſui Apoſtolici, hoc Chriſto adverſum eſt, et vehementer errant.* Brentius Homil. 52. in Paſſionem Chriſti, & Homil. 90 in Lucam.

Titulum habent *Dominorum* ratione *Baroniarum* suis Episcopatibus annexarum, & præcedentiam præ aliis Regni Baronibus non modò in privatis congressibus, sed in supremo Regni Concilio, Parliamento: ubi, quia sunt *Domini Barones*, hoc ordine habent suas sessiones. Post Reverendissimos Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem, primo loco sedet Episcopus Londinensis, deinde Dunelmensis, proximè Wintonienſis; reliqui Episcopi, ut consecratione priores, nisi quòd post Episcopum Dunelmensem primum locum teneant, qui Regi fuerint à secretioribus Consiliis. Episcopi enim in republica Anglicana, clementiâ Principis possunt ei esse à secretioribus consiliis, constitui Eirenarchæ, legatorum munere fungi, ad exteros principes (sicut Ambrosius Mediolanensis Episcopus,* ipso Ambrosio teste, bis Valentiniani Legatus fuit ad Maximum) vel aliud quodvis honestum munus exequi.

* Epist. 14. ad Marc. sororem. Vide etiam ejus Epist. 56. ad Valent. & concionem de obitu Valent.

Nam tametsi sacratarum personarum sanctissimæ, peritissimæ, Vigilantissimæq; satis operæ & sudoris habent in sacris muniis obeundis (cum *ad hæc quis idoneus?*) & ideo absolutè præstaret illos tractare solùm spiritualia: Tamen cùm Ecclesia militans sæpiùs permixta sit Epicureis & ferrei oris peccatoribus, qui magis mundano timore quàm amore spirituali ad externa pietatis officia peragenda adiguntur; ut horum Atheismus (ipsius civilis Regiminis exitium, si per spretam religionem nimiùm se prodat) meliùs coerceatur, prudentissimi principes Christiani Ecclesiæ præsules seculi honoribus cumulatissimè donarunt.

Con-

Conſtantinus Magnus (ut videre eſt in Codice Theodoſiano de Epiſcop. judicijs) uſque adeò Epiſcopos in cauſis ſecularibus voluit honorare, ut decreverit, in hæc verba; *Quicunque litem habens ſive Poſſeſſor, ſive Petitor erit, ſive inter initia litis, ſive cum negotium peroratur, ſive cum cæperit promi ſententia, judicium eligit ſacroſanctæ legis Antiſtitis; illico ſine aliqua dubitatione, etiam ſi alia pars refragetur, ad epiſcopum cum ſermone litigantium dirigatur.* Rationem decreti adjicit; *Multa enim, quæ in judicio captioſa præſcriptionis vincula non patiuntur, inveſtigat & promit ſacroſanctæ religionis authoritas. Omnes itaque cauſæ quæ prætorio jure vel civili tractantur, Epiſcoporum ſententijs terminatæ, perpetuo ſtabilitatis jure firmentur.* Quid quod etiam ſacræ perſonæ ſuæ vocationis opera ſpiritualia ſtrenuè peragentes, quandoque ex ſingulari Dei dono, in ſeculi quoque negotiis expediendis plurimùm pollent; De Gregorio Thaumaturgo Gregor. Nyſſen. in oratione ſua de ejus vita ſcribit; *Omnis quæſtio diſceptatioque, & omnis intricatus difficiliſque negotiorum nexus illius conſilijs & admonitionibus reſolvebatur & dirimebatur; unde ſingulis, illius beneficio, tam æquitas & recta juris conſtitutio, quam pax erat.* Demùm, quinam de æquitate (non de juſtitia ad juris amuſſim, hoc enim Juriſperitorum eſt) in cauſis ſecularibus meliùs dijudicent, quàm illius ex vocationis ſuæ impulſu ſtudioſi? unde Auguſtinus Concione 71. in 118. Pſalmum, hominibus ſui ſeculi diſſidia ei tanquam arbitro deferentibus dicere non audet; *Dic homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem*

diviſorem inter vos? Conſtituit enim (inquit) talibus cauſis Eccleſiaſticos Apoſtolos (Divum * Paulum intelligit) *cognitores.* Neque quando Eccleſiaſtici ſic ſunt *cognitores*, & aliquo modo curant negotia ſecularia, illis *implicantur*, aut abſorbentur; quia ab Apoſtolo monente, *neminem Deo militantem debere ſe implicare negotijs ſecularibus*, eccleſiaſtici hujuſmodi *cognitores* conſtituuntur: Ut *dum homines cauſas ſuas ſeculares apud nos* (inquit Auguſtinus Epiſcopus, epiſt 147.) *finire cupientes, negotia ſua peragunt, agamus & nos negotia ſalutis noſtræ & ipſorum, & diſſenſiones hominum terminemus.*

* 1 Cor. 5. 6.

Verùm præter ſeculi honores, & in ejus litibus componendis operam; media ſunt Epiſcoporum magis propria, ad ſuam, & aliorum ſalutem promovendam: nempe eorum in Antiſtitum Eccleſiæ album ſacra cooptatio, quæ *conſecratio* dicitur, & munia Eccleſiaſtica. Conſecratio Epiſcoporum in Anglia (omni papali ſuperſtitione detractâ, & præmiſſa concione de paſtoris in gregem officio, cura, fide, illamque ſubſequente Euchariſtiæ à frequenti graviſſimorum hominum cœtu perceptione) peragitur precibus, invocatione Spiritûs Sancti, manuum impoſitione a tribus ad minimum) juxta Concilii Nicæni canonem 3.) Epiſcopis in indumentis Epiſcopali gravitati conſentaneis, & communi ac ardenti eorum qui actioni interſunt oratione, ut Epiſcopale munus conſecratis impoſitum, cedat ad Dei gloriam, gregis ſalutem, conſcientiæ ſuæ in tremendo die Judicij lætum teſtimonium.

Horum

Horum verò ita consecratorum munera, secundùm canones, sunt diligenter docere Evangelium, non tantum in Cathedralibus Ecclesiis quibus præsunt, sed etiam passim per omnes Ecclesias suæ Diœceseos, ubi maximè putabunt expedire; in iisdem Cathedralibus Ecclesiis festis solennibus Capâ decenti amictos, sacram Cœnam administrare; ordinare Presbyteros & Diaconos; (& hinc Epiph. hær. 77. docet Episcopos generare *Patres Ecclesiæ*, Ecclesiasticos ministros ordinando; presbyteros *Filios Ecclesiæ*, infantes & catechumenos baptizando) verbo & gratiarum actione Ecclesias & sepulturæ loca sacris usibus dedicare, quod (teste Eusebio lib. 10. cap. 3.) in Templis a Constantino magnificè extructis, veteres Episcopi magna cum solennitate præstiterunt; confirmare precibus, & manuum * impositione pueros catechismum edoctos, qui mos (inquit Cyprianus) Epist. ad Jubaianum *apud nos geritur*; denique Ecclesiasticam jurisdictionem, cujus nervi sunt pœnæ & censuræ Ecclesiasticæ, exercere.

Versantur autem hæ pœnæ sive censuræ Ecclesiasticæ in duplici discrimine. Aut enim Ecclesiasticis & laicis communes sunt; ut *Monitio*, *excommunicatio minor*, *excommunicatio major*, *anathematismus*, *interdictum*, *corporalis pœnitentia*, *denegatio Christianæ sepulturæ in locis sacratis*: aut sunt Ecclesiasticis peculiares, quales sunt, *sequestratio fructuum Ecclesiæ*, *suspensio*, *deprivatio*, *depositio*: de quibus singulis, quemadmodum sunt in usu in Anglicâna Ecclesia, pauca delibanda.

Monitio

* *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus, manum imposturus excurrat.* Hieronymus adversus Luciferianos.

Monitio omnes ferè cenſuras Eccleſiaſticas præcedit, & illarum vi nemo cenſetur *Ethnicus* & *Publicanus*, niſi priùs *Eccleſiam non audierit*, ſub excommunicationis comminatione præcipientem.

Excommunicatio (ut ex ipſa nominis notatione liquet) homines à communione aliqua excludit. *Communio* autem interna vel externa eſt. *Interna* eſt illa, qua fidelis quiſque per fidem & charitatem cum Deo primum, deinde cum omnibus verè fidelibus arctiſſimo ſpiritûs vinculo unitur, & quam in Symbolo *communionem ſanctorum* appellamus. *Externa* communio eſt vel politica vel Eccleſiaſtica. *Politica* verſatur in rebus & negotijs ad civilem & præſentem vitam pertinentibus. *Eccleſiaſtica*, qua communicamus ſimul in iis quæ ad cultum Dei in Eccleſia ſpectant, cujuſmodi ſunt publicæ preces, prædicatio verbi, & Sacramentorum adminiſtratio. *Communio*, à qua excommunicatus excluditur, non eſt interna: ab hac enim nemo niſi per proprium peccatum ſeparatur. *Peccata veſtra* (inquit Iſaias cap. 59.) *diviſerunt inter me & vos*: ipſa verò excommunicatio peccatorem ita eſſe ſeperatũ declarat, & Eccleſiæ ſententia ad cœlos uſque pertingente, hoc ipſum * ſtabilit ac confirmat.

* Math. 18. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo.*

Ad quæ verba Auguſtin. lib. 1. contra Adamant cap. 17. hanc habet annotationem *Illud quod ait Dominus; Si nec Eccleſiam audierit, ſit tanquam Ethnicus & Publicanus, gravius eſt quàm ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubigeretur, Nam ibi quoque ſubjunxit; quæ ligaveritis ſuper terram, erunt ligata in cælis; ut intelligeret, quanto gravius ſit punitus, qui velut relictus eſt impunitus.*

Quare

Quare externa eſt communio à qua quempiam ſemovet excommunicatio: & quemadmodum hujus communionis, ſic excommunicationis diverſi ſunt gradus; *Excommunicatio*, ſcilicet, minor, & major. *Minor*, eſt ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ, aut à ſola Sacramentorum ſuſceptione, quam Cyprianus vocat *abſtenſionem*: & propter contumaciam & alia delicta adhibetur; ſed præcipuè propter contumaciam in non comparendo in curijs Eccleſiaſticis, aut non parendo illarum mandatis, quæ quandoque in rebus infimis poteſt eſſe ſumma: quia res præcepta quò facilior eſt obſervatu, eo præcepti violatio gravior, cùm ſit magis ſpontanea, eique nulla impotentia aut infirmitas obtendatur. Sic *præceptum* Adamo impoſitum *tam leve ad obſervandum, tam breve ad memoriâ retinendum, ubi præſertim nondum voluntati cupiditas reſiſtebat*; *tantò* (ut Auguſt. lib. 14. de Civitat. Dei, cap. 12. docet) *majori injuſtitiâ violatum eſt, quantò faciliori poſſet obſervantiâ cuſtodiri.*

Hujus minoris excommunicationis ſententiam pro contumacia in non comparendo in Judicijs Eccleſiaſticis, aliquis eruditus Presbyter (quamvis enim ſolus Epiſcopus ordinariâ, delegatâ tamen poteſtate, et in ſupplemento ad tertiam partem rectè obſervavit Aquinas, Presbyter excommunicare poteſt) ab Epiſcopo authoritate ſufficienti munitus denunciat, idque ex præſcripto Judicis, quem vocamus Epiſcopi Cancellarium, qui per Eccleſiæ noſtræ conſtitutiones eum ad hanc cenſuram ferendam tenetur accerſere & ſibi aſſociare.

Excom-

Excommunicatio major * eſt, qua peccator non ſolum à perceptione Sacramentorũ, vel ingreſſu Eccleſiæ, ſed toto fidelium conſortio excluditur: ita ut ſecundùm veteres Eccleſiæ noſtræ Canones, † *Communicans excommunicato majori excommunicatione, incurrat minorem, & niſi deſtiterit, majorem.* Atque idem ferè decretum latum fuit Concilio Toletano primo, Canone decimo ſexto; *Si quis laicus abſtinetur, ſeu à ſacra Communione arcetur; ad hunc vel ad domum ejus, Clericorum vel Religioſorum nullus accedat. Similiter & Clericus ſi abſtinetur, à Clericis devitetur. Si quis verò cum illo colloqui, aut convivari fuerit deprehenſus, & ipſe abſtineatur.* Et ante Concilium Toletanum primum, Antiochenum Canone tertio decrevit, *non licere cum excommunicatis communicare:* & *ſi quis ex Epiſcopis aut Presbyteris vel Diaconis, deprehenſus fuerit cum excommunicatis communicare, eum quoque eſſe excommunicatum.* Scopum & finem

* De hac excommunicatione loquitur D. Paulus, 1 Cor. 5. cujus ſententiam ſuâ ſolâ authoritate in inceſtuoſum fert his verbis: *Ego ut abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam* (antequam ſcripſerat Epiſtolam, & per eam Corinthiorum ſententiam rogare potuerat) *ut præſens dijudicavi*, ſeu decrevi, *ut his qui hoc ita perpetravit, vobis et meo ſpiritu in nomine Domini congregatis* (non ad D. Pauli decretum, ſi illis non arriſiſſet antiquandum, ſed ut illo publicè ab iis audito inceſtuoſum à ſe ſepararent, eumque *expurgarent* tanquam *vetus fermentum* ejiciendo è civili ſuo conſortio, aut non *approbando*, inquit Aug. lib. 3. cont. epiſt. Par cap. 1. non *conſentiendo*, non animis *favendo* ejus improbo facinori) *ejuſmodi inquam homo tradatur Satanæ.* i.e. fidelium cœtu ejiciatur: qui enim Eccleſiæ gremio extruditur, Satanæ extra Eccleſiam regnanti mancipatur. Et hæc omnia D. Paulus in inceſtuoſum decernit, ad *interitum carnis, ut ſpiritus ejus ſalvus eſſet*, id eſt, (ſicut docet Auguſt. lib. 3. cont. Par. cap. 1.) ut cum ipſe, pudore & triſtitia ſapere didicerit, & caro quæ ipſum in hoc præcipitium arripuerit, funditus fuerit abolita: ſpiritus ejus qui videbatur in certamine occubuiſſe, iterum ſeſe erigeret, & fieret ſpiritualis homo, ſalvus in die Domini. † Linwood in Provincia Conſti. de immunit. Eccleſiaſt. cap. ſeculi Principes. §. ac quandoque verb. maculantur.

finem hujusmodi Canonum indicat August. lib. 3. cont. Parmen. Epist. cap. 2. *Tunc* excommunicatus *timore percutitur, & pudore sanatur; cùm ab universa Ecclesia se Anathematizatum videt, & sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat & bonis insultet, non potest invenire.* Et ideo idem prudentissimus & sanctissimus Præsul ibidem graviter admonet, quòd *non possit esse salubris* neque delinquenti neque Ecclesiæ *correptio; nisi cum ille corripitur, qui non habet* * *sociam multitudinem.* Sed hoc fit sine labe pacis & unitatis, & sine læsione frumentorũ; cùm congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine ob quod delinquens anathematizatur, est aliena. Et secundùm Ecclesiæ nostræ Canones, *quotiescunque hæc major excommunicatio in immediatam pœnã cujusvis notoriæ hæreseos, schismatis, simoniæ, perjurij, usuræ, incestûs, aut gravioris alicujus criminis venerit infligenda, per Episcopum in propria persona pronunciatur, unà cum ejusmodi frequentia & assistentia, quæ ad majorem rei authoritatem conciliandam conducere videbitur.* Atque his excom-

* Huic Augustini sententiæ, alia à glossa in cap. 13. Matth. Augustino etiam adscripta, concinit: *Multitudo non est excommunicanda, nec Princeps populi:* Hoc gravissimum Sancti Patris monitum negligunt Romani Pontifices, dum excommunicant Imperatores & Reges, qui cùm amplas habeant ditiones & numerosos exercitus, rarò destituuntur *socia multitudine.* Hinc Imperatorum & Regum excommunicationes à Romanis Pontificibus denunciatas, sæpiùs tot cædes, tot rapinæ, tot populorum & Urbium eversiones, tam horrenda schismata sequuta; ut ipsos Pontifices facti sui pœnituerit, & totus Christianus orbis ingemuerit. Gregorius 7. cum Henricum IV. excommunicasset, & cruenta bella, teterrima odia, & schismata inde orta seriò fuissent contemplatus, animam acturus advocavit (ut refert Sigebertus, 185.) Cardinalem sibi præ cæteris charum, *& fassus est Sancto Petro et toti Ecclesiæ se valdè peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa est, et suadente Diabolo, contra humanum genus odium et iram concitâsse.*

communicationum vinculis constricti non possunt esse in Curiis sive civilibus sive ecclesiasticis Actores, aut testes: & si ultra 40. dies obstinati persistunt; per rescriptum Regium ex Cancellariæ Curia manans, illud Episcopo postulante, carceri à Comitatûs in quo degunt Vicecomite mandantur, donec Episcopo dederint sufficientem cautionem pignoriticiam, fidejussoriam, aut juratoriam, se ejus mandatis & decretis obtemperaturos. Quarta censura Ecclesiastica est * *Anathematismus*, qui tantùm in pertinacem hæreticum exeritur, & quo iste tanquam publicus Dei hostis, rejectus, maledictus, execratus, æterno judicio & damnationi devovetur. *Anathema* enim (ut notat Hieronymus in cap. primo ad Galatas) *nomen est execrationis & maledictionis.* Huic succedit *interdictum*, quo universitas seu communitas (*Homo* enim, inquit noster *Linwodus, propriè excommunicatur, & propriè locus interdicitur*) ob publicum aliquod delictum divinis officiis, sepulturâ, administratione & perceptione Sacramentorum prohibetur. *Interdictum* excipit corporalis pœnitentia, sic dicta, quia non solùm interiori, sed etiam exteriori homine luenda; quæ publicæ in primæva Ecclesia pœnitentia, quam Cyprian. epist. 10. *Exhomologesin* vocat, est quàm simillima. Quorum autem authoritate hæc *exhomologesis* seu publica pœnitentia antiquitùs fuerit imposita, Concilium

* Chrysostomus ex professo homilia quadam contendit non esse anathemate utendum in Ecclesia Christiana, quia de nemine quamdiu vivit, resipiscentiæ spes sit abjicienda: sed frustra. In hæc enim tremenda Ecclesiæ censura, conditio, [Nisi resipuerit,] semper intelligitur.

cilium Carthaginense tertium cap. 31. & 32. testatur: *Pœnitentibus, secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Quæ ob crimina, lib. 3. cont. Parmen. epist. cap. 2. ostendit Augustinus, *quando ita cujusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ.* Et hinc Anglicanæ Ecclesiæ Canones statuerunt; *Si crimen non fuerit notorium & publicum, solennem pœnitentiam posse commutari in mulctam* * *pecuniariam in levamen pauperum ejusdem Paræciæ, vel in alios pios usus erogandam: modò constiterit eam esse ad Reum reformandum saniorem & tutiorem rationem.* Quandoque enim fit (ut Cyrillus lib. 3. in Levit. piè & prudenter monet) *ubi servari suum peccatum secretum viderit ille qui peccat, servabit & ipse emendationis pudorem. Si verò viderit peccatum suum* per exhomologesin *proclamari, & sese* (pravo suo judicio) *defamari, ilicò ad impudentiam converteur.* Itaque Concilium Constantinopol. generale 6. huic pastorali reducendi peccatores ad bonam frugem curæ præpositos

* Quod tamen Judicibus Ecclesiasticis cautè faciendum est, ne Regia prohibitione in hâc commutatione impediantur. Nam in Articulis Cleri. cap. 2. decernitur; *Si Prælatus imponat pœnam pecuniariam alicui pro peccato et petat illam, Regia prohibitio habet locum. Verumtamen si Prælati imponant pœnas corporales, et illi sic puniendi velint hujusmodi pœnas per pecuniam redimere; non habet locum regia Prohibitio, si coram Prælatis pecunia exigatur.* Et hujusmodi pecunia à Judicibus Ecclesiasticis in sacros usus licitè erogari potest: quia non est *merces scorti*, Deuteron. 23. *in Domum Dei pro voto* seu eleemosyna minimè introducenda, ne Ecclesia videatur illius turpitudinem approbare & fovere; sed *scorti* pœna est, quæ non potest ejus, cui infligitur, censeri omni modo libera eleemosyna, cum semper aliquo modo sit invita.

poſitos inſtruit; *cum non ſimplex ſit peccati morbus ſed varius & multiformis, ut attentè rimentur qualiter affectus ſit, qui peccaverit: an obtemperet magiſtro, an mentis ulcus per admota pharmaca creſcat, & ſic miſerecordiam æqua lance impertiant.* Poſtrema Eccleſiaſtica pœna Laicis & Clericis communis, eſt *denegatio Chriſtiana ſepultura in locis ſacratis:* quæ non ſine infligitur in pœnam mortuorum, qui quamprimum naturæ ceſſerint, aut beatitudine nunquam amittendâ fruuntur, aut miſeria in æternum ſubeundâ plectuntur; ſed in terrorem viventium, qui ipſius naturæ inſtinctu corpora ſua poſt mortem honeſtè tractari plurimum deſiderant. Omnes autem excommunicati, perjuri, feloniæ crimine ſtrangulati, inſignes fæneratores, hæretici, apoſtatæ, mortem ſibi aſciſcentes (niſi de extraordinaria illorum pœnitentia certior factus fuerit Epiſcopus, qui tum licentiam concedit eos in locis ſacratis inhumandi) hoc ultimo pietatis officio orbantur. Jam Eccleſiaſticæ cenſuræ in Eccleſiaſticos peculiares ſequuntur. Harum prima fuit *ſequeſtratio*, à jure civili (ut videre eſt in Digeſtis & Codice) in jus Canonicum derivata, quæ eſt fructuum Eccleſiæ ad tempus apud alium depoſitio, ad jus alicujus tuendum, aut onus declinandum, vel ejus qui fructuum Dominus eſt, contumaciam caſtigandam: quam ſi quis poſt legitimam ejus publicationem in locis ubi facienda eſt, violaverit; juxta antiquos Eccleſiæ Anglicanæ Canones, *majorem excommunicationem* ipſo facto incurrit. Proxima cenſura eſt *Suſpenſio*, qua *monitione præcedente in ſcripto & cauſâ expreſſâ, perſona*

perſonæ Eccleſiaſticæ interdicitur exercitium ſui officii vel beneficii vel utriuſque ſimul, in toto vel in parte, ad certum tempus vel in perpetuum. Tertia cenſura eſt *Deprivatio*, qua Eccleſiaſtica perſona ob grave aliquod crimen ab Eccleſiaſtico beneficio amovetur. Ultima eſt *Depoſitio*, pœna in primæva Eccleſia uſitata. Nam Concilii Antiocheni Canon. 3. & 4. ſic decernitur; *Si quis Presbyter aut Diaconus à proprio Epiſcopo depoſitus, auſus fuerit aliquid de Miniſterio agere; nullam ſpem reſtitutionis ei habere liceat.* Et *ſi quis Presbyter aut Diaconus, contempto ſuo Epiſcopo, ab Eccleſia ſeipſum ſegregaverit & ſeorſim congregationem fecerit, & Epiſcopo primò, ſecundò vocanti noluerit obedire; is omnino deponatur nec amplius remedium aſſequi, nec honorem ſuum accipere poſſit.* Et hæc, ſecundùm jus Canonicum vim adhuc in Eccleſia Anglicana obtinens, eſt vel *verbalis* per Judicis ſententiam, vel *realis* quæ fit degradatione; cum ſcil. perſonæ Eccleſiaſticæ propter hæreſin, veſtes & inſignia ordinis ſui per Epiſcopos detrahuntur in præſentia civilis Magiſtratûs, cui poſt degradationem coercendus relinquitur. Et hæ ſunt omnes cenſuræ & pœnæ Eccleſiaſticæ; quas oportet Epiſcopos memores præcepti Apoſtolici, *non dominantes in hæreditatem aut ſortem Domini*, in greges ſibi concreditos exercere, non herili jure, tanquam Dominos in ſervos, ſuum ex iis * commodum aucupantes; ſed paterno, † veluti parentes in filios, illorum ſaluti præcipuè conſulentes. Nam ut Salvator noſter Luc. 22. admonet, *qui maximus inter vos* authoritate & eminentia, *ſit minimus*, id eſt,

* *Servi Dominis acquirunt quicquid acquirunt.* Lib. 1. Inſtitut. tit. 8. § 1.

† *Eſto ſubjectus Pontifici tuo et quaſi parentem animæ ſuſcipe.* Hier. ad Nepoti.

paratus minimo cuique in ejus commodum * inservire; *& qui præest, ac si administraret* iis quibus imperat, consulendi officio famulans: ut meritò dixerit Augustinus lib. 2. cont. Cresconium cap. 11. *Non sumus Episcopi propter nos, sed propter eos quibus verbum & sacramenta administramus*, quos censuris Ecclesiasticis constringimus & castigamus.

* *Omnibus meipsum servum feci ut plures lucri facerem,* 1 Cor. 9. 19. *Discite subditorum matres vos esse debere, non Dominos. Studete magis amari, quam metui, si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica.* Bernard. Serm. 23. in Cant. alloquens Prælatos.

Atque ita Ecclesiasticis censuris recensitis ac descriptis, ipsam Ecclesiasticam jurisdictionem his suffultam aggrediamur. Hæc autem vel *voluntaria* est, ad quam exercendam Episcopus à nullo pro suo interesse aut publica vindicta Actore cogitur; vel *contentiosa* est, ad lites inter Actorem & Reum dirimendas instituta, de qua infra susiùs dicendum. Prioris Jurisdictionis, propter mutuas inter Ecclesiam & Rempublicam suppetias, varia sunt & quasi mixta membra, diversis fundamentis superstructa. Primum innititur Regni statutis, per quæ Episcopi decimas & subsidia Principi ab Ecclesiasticis debita cogunt; assistunt civilibus Judicibus in exequendis aliquot statutis; uniunt & confolidant Ecclesias minutiores; ex speciali aliqua causa, judices civiles reddunt certiores de Pontificiis, qui abjuratâ suâ superstitione, accedunt ad nostra sacra, aut obstinati iis penitùs se subducunt; concedunt peritis & fide dignorum testimonio approbatis, licentiam exercendi Medicinam & Chirurgiam, & pueros erudiendi; exigunt quandoque

quandoque à nonnullis juramentum Regii primatûs, & juramentum fidelitatis infra suas Diœceses Episcopales. Secundum stabilitur jure Regni municipali, ut ad rescriptum Regium certiores facere civiles judices de legitimis & illegitimis Nuptiis ac Natalibus, de excommunicatis, & in aliis causis Ecclesiasticis, quarum aliquando in Curiis civilibus est incidens cognitio, ratione temporalium causarum, quarum sunt appendices; quædam Regis Brevia à Civilibus ejus Curiis manantia pro beneficiis legitimè præsentato restituendis, personis Ecclesiasticis nullum habentibus seculare feudum judicio civili quandoque sistendis exequi; Regium rescriptum requirere, de hæretico pertinaci (anteà condemnato) comburendo, pro carceri mandando corpore illius qui ultra 40. dies excommunicatus persistit. Tertium tùm jure Ecclesiastico, tùm municipali confirmatur, quorum consentientibus placitis Episcopi defunctorum testamenta probant & insinuari faciunt, ab intestato decedentium bona proximo agnato vel cognato administranda concedunt; Rationes hujusmodi Administrationis reddi faciunt; bona caduca (cùm nullus hæreditatem adire velit) mandant tutò custodienda & colligenda, donec secundum Juris præscriptum distribuantur. Quartum & ultimum hujus Episcopalis Jurisdictionis voluntariæ in Ecclesia Anglicana membrum, munitur jure Ecclesiastico; ex quo Episcopi idoneis conferunt beneficia, vel illos ab aliis patronis præsentatos in beneficia instituunt; inter quam beneficii collationem & ad illud institu-

tionem, hoc tantum discrimen quidam Canonum periti statuerunt; ut hæc sit concessio Ecclesiastici beneficii limitata, nempe Clerico à Patrono nominato & oblato: illa libera, Clerico cui ipse Episcopus voluerit. Porrò ejusdem juris Ecclesiastici vi, admittunt Resignationes beneficiorum, quorum vacantium fructus, sub tuto sequestro ad usum proximi successoris colligendos & custodiendos mandant; literas dimissorias seu * testimoniales concedunt initiandis in sacris ordinibus, vel jam initiatis ad animarum curam admittendis ab alterius Diœcesis Episcopo; dant licentiam collocandi sedile in Ecclesia, † diruendæ veteris fabricæ Ecclesiæ & novæ extruendæ; exhumandi cadaver, & aliò transferendi; assignant Rectori Ecclesiæ morbò ita impedito ut muneri suo superesse non possit, coadjutorem, ad explendum ejus officium: Denique quolibet triennio, totam suam Diœcesin visitant, & per eam instituunt generalem inquisitionem, quæ, quo fiat ordine, qua forma, Capite subsequenti commonstrabitur.

* *Si Ministri et Curati ex una Diœcesi in alteram transferint, nequaquam ad curam ullam exercendam admittentur, nisi Episcopi ejus Diœceseos unde advenerint, vel loci Ordinarij literis testimonialibus de ipsorum honestâ conversatione, sufficientia, et conformitate ad Ecclesiasticas Regni Anglicani leges muniti accesserint.* Hic Canon imitatur Canonem 12. qui dicitur Apostolorum, *Non recipendus, si apud alium sine commendatitiis receptus fuerit.* Huic enim Canoni Harmenopulus in Epitome Sacro. Canon. tit. 3. hoc Scholion subjecit; *Commendatitiæ vero literæ sunt, quæ ab Episcopo Clericis aut Sacerdotibus dantur aliam in urbem proficiscentibus, quæque commendant eos illius Loci Episcopo velut omni culpa carentes.* Harum etiam literarum meminit Canon 12. Concil. Gangrensis, celebrati ante Nicænum Concilium primum his verbis; *Non licuit Presbyteris Civitatis* (multo minùs inferioris gradûs Presbyteris) sine literis Episcopi *in aliena parœcia aliquid agere,*

† Patres Concilij Chalcedonensis, Canon. 4. decernunt; *Nullus quidem usquam ædificet nec constituat Monasterium aut Oratoriam domum, præter consensum Episcopi Civitatis.* Quod decretum Harmenopulus in Epitome Sacr. Can. sic expressit; *Nullus unquam Templum construat absq; sententia Episcopi.*

CAP.

CAP. VI.

Epiſcoporum voluntaria Juriſdictio in Diœceſibus ſuis viſitandis.

IDem in *ſpirituali Dei Domo* Eccleſiâ, quod in materiatis ædificiis uſu venit: Horum decidui parietes niſi ſtatuminentur, illius præcipua fulcra, vitæ pietas, doctrinæ puritas, niſi ſarcta tecta conſerventur, in ruinam vergunt. Hinc viſitationes Eccleſiarum, quoties in deterius cœperint labi, ab ipſis Apoſtolis ſunt inſtitutæ: hoc enim nomine Divus Paulus (1. ad Corinthios 16) ad Corinthios rediturus erat, Eccleſias Macedoniæ inſpexit, & quia non potuit ſtatim Corinthum proficiſci, cogitat illuc Timotheum mittere. Immô idem Apoſtolus Actor. decimo quinto, Antiochiæ apertè dicit Barnabæ; *Revertentes viſitemus fratres per univerſas civitates in quibus prædicavimus verbum*, cogniturі, *quomodo ſe habeant*. Neq; pia & prudentiſſima hæc Apoſtolorum praxis, apud eorum ſucceſſores Epiſcopos, ſeculis ſubſequentibus exolevit. Synodus Tarraconenſis in Hiſpania anno 450 celebrata, canone 7. ſtatuit, ut *antiquæ conſuetudinis* (longè igitur ante hanc Synodum Epiſcopalis diœceſeôn exploratio in uſu erat) *ordo ſervetur, & annuis vicibus diœceſes ab Epiſcopis viſitentur*. Idem decretum in Concilio Toletano quarto 70 Epiſcopis conſtante,

ferè ducentis posteà annis recensitum legimus. Neque mirum est hunc præcipuum Ecclesiasticæ disciplinæ nervum ab Apostolorum ætate, ad tam remota antrorsum secula se extendisse; cùm tam præclari sint ejus in ecclesia usus & ingentes utilitates. Hac enim Episcopali inquisitione doctrinæ cœlestis sinceritas ab erroribus, cultûs externi puritas à superstitione, vitæ Christianæ integritas à criminum inquinamentis, tota que religio à blasphemijs & scandalis vindicantur. Ad quos fines Præsulum in Ecclesia Anglicana visitationes debere collimare, monstrant capita de quibus juxta Canones inquirere, media per quæ crimina exquirere, pœnæ quas reis detectis infligere oportet: quæ jam sigillatim sunt proponenda. Etenim ut Episcopales in nostra Ecclesia visitationes Cathedralium Ecclesiarum, Curiarum Ecclesiasticarum & Hospitalium quæ non sunt ex Regia fundatione, & quorum Episcopus aut nullus alius visitator à Fundatore statuitur, tanquam privatas prætereamus: publicæ & magis generales per totam diœcesin inquisitiones instituuntur, aut de delectis eorum qui Episcopi ordinatione licentiâve peculiarem habent functionem, aut quorumlibet Christianorum.

Prior exploratio est de excessibus & defectibus *Ministrorum* Verbi, *Oeconomorum*, *Ludimagistrorum*, & *Medicorum*, *Chirurgorum*, ac *Obstetricum*. 1. *Ministrorum* verbi, an jugiter, & sincerè Evangelium concionentur, religiosè & reverenter administrent Sacramenta, juventutem & rudiorem plebem in Catechismo diligenter instruant, ægrotantes sedulò visitent,

ſitent, vitam piè & ſobriè inſtituant, veſtimentis gravitati ſuæ conſentaneis induantur, & reliqua faciant ab Eccleſiæ Canonibus præſcripta. 2. de delictis *Oeconomorum*; utrùm invigilent, ut omnes parochiani Eccleſias ſuas diebus dominicis debitè frequentent, ædes ſacræ abſque ſordibus ab ædituis ſeu oſtiarijs mundè conſerventur, pecuniarum à ſe in Eccleſiæ uſum expenſarum rationem fideliter reddant, in mores hominum inquirant, & ſcandaloſos Ordinario bis in anno denuncient, ac alia ſua munera ſincerè peragant 3. de delictis *Ludimagiſtrorum*; an ſuos diſcipulos * Cathechiſmum publica authoritate hunc in finem Latinè & Anglicè impreſſum edoceant, ad Eccleſiam ſacro quolibet & feſtivo die adducant, curent ut ibi ſe quietè & modeſtè gerant, & inde reverſos ad examen revocent quid ex concione (quoties haberi contigerit) didicerint, prælegant ſuis diſcipulis aliam Grammaticam quam quæ publica authoritate fuerit approbata. 4. De delictis *Medicorum*, *Chirurgorum*, *Obſtetricum*; an exerceant non probati, aut in ſuis functionibus obeundis aliquod ſortilegium vel ſuperſtitioſum quid admiſceant.

* Sic in Eccleſia Alexandrina (ut refert Euſebius lib. 5. cap. 10.) Pantenus, Origines & alii viri doctiſſimi ſcholis Præfecti Catechiſtæ erant: quos ideò Ambroſius in cap. 4. ad Epheſios vult eſſe Doctores illic nominatos poſt Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores; cui Chryſoſtomum Serm. 11. in cap. 4. ad Epheſios, Oecumenium ibid. Auguſtinum Epiſt. 59. qui aſſerunt, Apoſtolum docentem quæ Paſtoralis officij eſſent partes, idem munus [Paſtoris & Doctoris] nominibus deſignaſſe, meritò opponamus.

Poſte-

Domini congregatis (non ad D.Pauli decretum, ſi illis non arriſiſſet antiquandum, ſed ut illo publicè ab iis audito inceſtuoſum à ſe ſepararent, eumque *expurgarent* tanquam *vetus fermentum* ejiciendo è civili ſuo conſortio, aut non *approbando*, inquit Aug. lib. 3. cont. epiſt. Par cap. 1. non *conſentiendo*, non animis *favendo* ejus improbo facinori) *ejuſmodi inquam homo tradatur Satanæ.* i.e. fidelium cœtu ejiciatur : qui enim Eccleſiæ gremio extruditur, Satanæ extra Eccleſiam regnanti mancipatur. Et hæc omnia D. Paulus in inceſtuoſum decernit, ad *interitum carnis, ut ſpiritus ejus ſalvus eſſet*, id eſt, (ſicut docet Auguſt. lib. 3. cont. Par. cap. 1.) ut cum ipſe, pudore & triſtitia ſapere didicerit, & caro quæ ipſum in hoc præcipitium arripuerit, funditus fuerit abolita : ſpiritus ejus qui videbatur in certamine occubuiſſe, iterum ſeſe erigeret, & fieret ſpiritualis homo, ſalvus in die Domini. † Linwood in Provincia Conſti. de immunit. Eccleſiaſt. cap. ſeculi Principes. §. ac quandoque verb. maculantur.

Canones, † *Communicans excommunicato majori excommunicatione, incurrat minorem, & niſi deſtiterit, majorem.* Atque idem fere decretum latum fuit Concilio Toletano primo, Canone decimo ſexto; *Si quis laicus abſtinetur, ſeu à ſacra Communione arcetur; ad hunc vel ad domum ejus, Clericorum vel Religioſorum nullus accedat. Similiter & Clericus ſi abſtinetur, à Clericis devitetur. Si quis verò cum illo colloqui, aut convivari fuerit deprehenſus, & ipſe abſtineatur.* Et ante Concilium Toletanum primum, Antiochenum Canone tertio decrevit, *non licere cum excommunicatis communicare:* & *ſi quis ex Epiſcopis aut Presbyteris vel Diaconis, deprehenſus fuerit cum excommunicatis communicare, eum quoque eſſe excommunicatum.* Scopum & finem

cleſiæ *correptio; niſi cum ille corripitur, qui non habet* * *ſociam multitudinem.* Sed hoc fit ſine labe pacis & unitatis, & ſine læſione frumentorū; cùm congregationis Eccleſiæ multitudo ab eo crimine ob quod delinquens anathematizatur, eſt aliena. Et ſecundùm Eccleſiæ noſtræ Canones, *quotieſcunque hæc major excommunicatio in immediatam pœnã cujuſvis notoriæ hæreſcos, ſchiſmatis, ſimoniæ, perjurij, uſuræ, inceſtûs, aut gravioris alicujus criminis venerit infligenda, per Epiſcopum in propria perſona pronunciatur, unà cum ejuſmodi frequentia & aſſiſtentia, quæ ad majorem rei authoritatem conciliandam conducere videbitur.* Atque his excom-

* Huic Auguſtini ſententiæ, alia à gloſſa in cap. 13. Matth. Auguſtino etiam adſcripta, concinit: *Multitudo non eſt excommunicanda, nec Princeps populi:* Hoc graviſſimum Sancti Patris monitum negligunt Romani Pontifices, dum excommunicant Imperatores & Reges, qui cùm amplas habeant ditiones & numeroſos exercitus, rarò deſtituuntur *ſocia multitudine.* Hinc Imperatorum & Regum excommunicationes à Romanis Pontificibus denunciatas, ſæpiùs tot cædes, tot rapinæ, tot populorum & Urbium everſiones, tam horrenda ſchiſmata ſequuta; ut ipſos Pontifices facti ſui pœnituerit, & totus Chriſtianus orbis ingemuerit. Gregorius 7. cum Henricum IV. excommunicaſſet, & cruenta bella, teterrima odia, & ſchiſmata inde orta ſeriò fuiſſet contemplatus, animam acturus advocavit (ut refert Sigebertus, 185.) Cardinalem ſibi præ cæteris charum, *& faſſus eſt Sancto Petro et toti Eccleſiæ ſe valdè peccaſſe in Paſtorali cura, quæ ei ad regendum commiſſa eſt, et ſuadente Diabolo, contra humanum genus odium et iram concitâſſe.*

com-

communicationum vinculis constricti non possunt esse in Curiis sive civilibus sive ecclesiasticis Actores, aut testes: & si ultra 40. dies obstinati persistunt; per rescriptum Regium ex Cancellariæ Curia manans, illud Episcopo postulante, carceri à Comitatûs in quo degunt Vicecomite mandantur, donec Episcopo dederint sufficientem cautionem pignoriticiam, fidejussoriam, aut juratoriam, se ejus mandatis & decretis obtemperaturos. Quarta censura Ecclesiastica est * *Anathematismus*, qui tantùm in pertinacem hæreticum exeritur, & quo iste tanquam publicus Dei hostis, rejectus, maledictus, execratus, æterno judicio & damnationi devovetur. *Anathema* enim (ut notat Hieronymus in cap. primo ad Galatas) *nomen est execrationis & maledictionis.* Huic succedit *interdictum*, quo universitas seu communitas (*Homo* enim, inquit noster *Linwodus*, *propriè excommunicatur, & propriè locus interdicitur*) ob publicum aliquod delictum divinis officiis, sepulturâ, administratione & perceptione Sacramentorum prohibetur. *Interdictum* excipit corporalis pœnitentia, sic dicta, quia non solùm interiori, sed etiam exteriori homine luenda; quæ publicæ in primæva Ecclesia pœnitentia, quam Cyprian. epist. 10. *Exhomologesin* vocat, est quàm simillima. Quorum autem authoritate hæc *exhomologesis* seu publica pœnitentia antiquitùs fuerit imposita, Concilium

* Chrysostomus ex professo homilia quadam contendit non esse anathemate utendum in Ecclesia Christiana, quia de nemine quamdiu vivit, resipiscentiæ spes sit abjicienda: sed frustra. In hæc enim tremenda Ecclesiæ censura, conditio, [Nisi resipuerit,] semper intelligitur.

cilium Carthaginense tertium cap. 31. & 32. testatur: *Pœnitentibus, secundùm peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Quæ ob crimina, lib. 3. cont. Parmen. epist. cap. 2. ostendit Augustinus, *quando ita cujusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ.* Et hinc Anglicanæ Ecclesiæ Canones statuerunt; *Si crimen non fuerit notorium & publicum, solennem pœnitentiam posse commutari in mulctam* * *pecuniariam in levamen pauperum ejusdem Parœciæ, vel in alios pios usus erogandam: modò constiterit eam esse ad Reum reformandum saniorem & tutiorem rationem.* Quandoque enim fit (ut Cyrillus lib. 3. in Levit. piè & prudenter monet) *ubi servari suum peccatum secretum viderit ille qui peccat, servabit & ipse emendationis pudorem. Si verò viderit peccatum suum* per exhomologesin *proclamari, & sese* (pravo suo judicio) *defamari, ilicò ad impudentiam converteretur.* Itaque Concilium Constantinopol. generale 6. huic pastorali reducendi peccatores ad bonam frugem curæ præpositos

* Quod tamen Judicibus Ecclesiasticis cautè faciendum est, ne Regia prohibitione in hâc commutatione impediantur. Nam in Articulis Cleri. cap. 2. decernitur; *Si Prælatus imponat pœnam pecuniariam alicui pro peccato et petat illam, Regia prohibitio habet locum. Verumtamen si Prælati imponant pœnas corporales, et illi sic puniendi velint hujusmodi pœnas per pecuniam redimere; non habet locum regia Prohibitio, si coram Prælatis pecunia exigatur.* Et hujusmodi pecunia à Judicibus Ecclesiasticis in sacros usus licitè erogari potest: quia non est *merces scorti*, Deuteron. 23. *in Domum Dei pro voto* seu eleemosyna minimè introducenda, ne Ecclesia videatur illius turpitudinem approbare & fovere; sed *scorti* pœna est, quæ non potest ejus, cui infligitur, censeri omni modo libera eleemosyna, cum semper aliquo modo sit invita.

positos instruit; *cum non simplex sit peccati morbus sed varius & multiformis, ut attentè rimentur qualiter affectus sit, qui peccaverit: an obtemperet magistro, an mentis ulcus per admota pharmaca crescat, & sic miserecordiam æqua lance impertiant.* Postrema Ecclesiastica pœna Laicis & Clericis communis, est *denegatio Christiana sepultura in locis sacratis:* quæ non ininfligitur in pœnam mortuorum, qui quamprimum naturæ cesserint, aut beatitudine nunquam amittendâ fruuntur, aut miseria in æternum subeundâ plectuntur; sed in terrorem viventium, qui ipsius naturæ instinctu corpora sua post mortem honestè tractari plurimum desiderant. Omnes autem excommunicati, perjuri, feloniæ crimine strangulati, insignes fæneratores, hæretici, apostatæ, mortem sibi asciscentes (nisi de extraordinaria illorum pœnitentia certior factus fuerit Episcopus, qui tum licentiam concedit eos in locis sacratis inhumandi) hoc ultimo pietatis officio orbantur. Jam Ecclesiasticæ censuræ in Ecclesiasticos peculiares sequuntur. Harum prima fuit *sequestratio*, à jure civili (ut videre est in Digestis & Codice) in jus Canonicum derivata, quæ est fructuum Ecclesiæ ad tempus apud alium depositio, ad jus alicujus tuendum, aut onus declinandum, vel ejus qui fructuum Dominus est, contumaciam castigandam: quam si quis post legitimam ejus publicationem in locis ubi facienda est, violaverit; juxta antiquos Ecclesiæ Anglicanæ Canones, *majorem excommunicationem* ipso facto incurrit. Proxima censura est *Suspensio*, qua *monitione præcedente in scripto & causâ expressâ, persona*

personæ Ecclesiasticæ interdicitur exercitium sui officii vel beneficii vel utriusque simul, in toto vel in parte, ad certum tempus vel in perpetuum. Tertia censura est *Deprivatio*, qua Ecclesiastica persona ob grave aliquod crimen ab Ecclesiastico beneficio amovetur. Ultima est *Depositio*, pœna in primæva Ecclesia usitata. Nam Concilii Antiocheni Canon. 3. & 4. sic decernitur; *Si quis Presbyter aut Diaconus à proprio Episcopo depositus, ausus fuerit aliquid de Ministerio agere; nullam spem restitutionis ei habere liceat.* Et *si quis Presbyter aut Diaconus, contempto suo Episcopo, ab Ecclesia seipsum segregaverit & seorsim congregationem fecerit, & Episcopo primò, secundò vocanti noluerit obedire; is omnino deponatur nec amplius remedium assequi, nec honorem suum accipere possit.* Et hæc, secundùm jus Canonicum vim adhuc in Ecclesia Anglicana obtinens, est vel *verbalis* per Judicis sententiam, vel *realis* quæ fit degradatione; cum scil. personæ Ecclesiasticæ propter hæresin, vestes & insignia ordinis sui per Episcopos detrahuntur in præsentia civilis Magistratûs, cui post degradationem coercendus relinquitur. Et hæ sunt omnes censuræ & pœnæ Ecclesiasticæ; quas oportet Episcopos memores præcepti Apostolici, *non dominantes in hæreditatem aut sortem Domini*, in greges sibi concreditos exercere, non herili jure, tanquam Dominos in servos, suum ex iis* commodum aucupantes; sed paterno, † veluti parentes in filios, illorum saluti præcipuè consulentes. Nam ut Salvator noster Luc. 22. admonet, *qui maximus inter vos* authoritate & eminentia, *sit minimus*, id est,

* *Servi Dominis acquirunt quicquid acquirunt.* Lib. 1. Institut. tit. 8. § 1.

† *Esto subjectus Pontifici tuo et quasi parentem animæ suscipe.* Hier. ad Nepoti.

paratus minimo cuique in ejus commodum * inservire; *& qui præest, ac si administraret* iis quibus imperat, consulendi officio famulans: ut meritò dixerit Augustinus lib. 2. cont. Cresconium cap. 11. *Non sumus Episcopi propter nos, sed propter eos quibus verbum & sacramenta administramus*, quos censuris Ecclesiasticis constringimus & castigamus.

* *Omnibus meipsum servum feci ut plures lucri facerem,* 1 Cor. 9. 19. *Discite subditorum matres vos esse debere, non Dominos. Studete magis amari, quam metui, si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica.* Bernard. Serm. 23. in Cant. alloquens Prælatos.

Atque ita Ecclesiasticis censuris recensitis ac descriptis, ipsam Ecclesiasticam jurisdictionem his suffultam aggrediamur. Hæc autem vel *voluntaria* est, ad quam exercendam Episcopus à nullo pro suo interesse aut publica vindicta Actore cogitur; vel *contentiosa* est, ad lites inter Actorem & Reum dirimendas instituta, de qua infra fusiùs dicendum. Prioris Jurisdictionis, propter mutuas inter Ecclesiam & Rempublicam suppetias, varia sunt & quasi mixta membra, diversis fundamentis superstructa. Primum innititur Regni statutis, per quæ Episcopi decimas & subsidia Principi ab Ecclesiasticis debita cogunt; assistunt civilibus Judicibus in exequendis aliquot statutis; uniunt & consolidant Ecclesias minutiores; ex speciali aliqua causa, judices civiles reddunt certiores de Pontificiis, qui abjuratâ suâ superstitione, accedunt ad nostra sacra, aut obstinati iis penitùs se subducunt; concedunt peritis & fide dignorum testimonio approbatis, licentiam exercendi Medicinam & Chirurgiam, & pueros erudiendi; exigunt quandoque

quandoque à nonnullis juramentum Regii primatûs, & juramentum fidelitatis infra suas Diœceses Episcopales. Secundum stabilitur jure Regni municipali, ut ad rescriptum Regium certiores facere civiles judices de legitimis & illegitimis Nuptiis ac Natalibus, de excommunicatis, & in aliis causis Ecclesiasticis, quarum aliquando in Curiis civilibus est incidens cognitio, ratione temporalium causarum, quarum sunt appendices; quædam Regis Brevia à Civilibus ejus Curiis manantia pro beneficiis legitimè præsentato restituendis, personis Ecclesiasticis nullum habentibus seculare feudum judicio civili quandoque sistendis exequi; Regium rescriptum requirere, de hæretico pertinaci (anteà condemnato) comburendo, pro carceri mandando corpore illius qui ultra 40. dies excommunicatus persistit. Tertium tùm jure Ecclesiastico, tùm municipali confirmatur, quorum consentientibus placitis Episcopi defunctorum testamenta probant & insinuari faciunt, ab intestato decedentium bona proximo agnato vel cognato administranda concedunt; Rationes hujusmodi Administrationis reddi faciunt; bona caduca (cùm nullus hæreditatem adire velit) mandant tutò custodienda & colligenda, donec secundum Juris præscriptum distribuantur. Quartum & ultimum hujus Episcopalis Jurisdictionis voluntariæ in Ecclesia Anglicana membrum, munitur jure Ecclesiastico; ex quo Episcopi idoneis conferunt beneficia, vel illos ab aliis patronis præsentatos in beneficia instituunt; inter quam beneficii collationem & ad illud institu-

tionem, hoc tantum discrimen quidam Canonum periti statuerunt; ut hæc sit concessio Ecclesiastici beneficii limitata, nempe Clerico à Patrono nominato & oblato: illa libera, Clerico cui ipse Episcopus voluerit. Porrò ejusdem juris Ecclesiastici vi, admittunt Resignationes beneficiorum, quorum vacantium fructus, sub tuto sequestro ad usum proximi successoris colligendos & custodiendos mandant; literas dimissorias seu * testimoniales concedunt initiandis in sacris ordinibus, vel jam initiatis ad animarum curam admittendis ab alterius Diœcesis Episcopo; dant licentiam collocandi sedile in Ecclesia, † diruendæ veteris fabricæ Ecclesiæ & novæ extruendæ; exhumandi cadaver, & aliò transferendi; assignant Rectori Ecclesiæ morbo ita impedito ut muneri suo supereſſe non possit, coadjutorem, ad explendum ejus officium: Denique quolibet triennio, totam suam Diœcesin visitant, & per eam instituunt generalem inquisitionem, quæ, quo fiat ordine, qua forma, Capite subsequenti commonstrabitur.

* *Si Ministri et Curati ex una Diœcesi in alteram transierint, nequaquam ad curam ullam exercendam admittentur, nisi Episcopi ejus Diœcesos unde advenerint, vel loci Ordinarij literis testimonialibus de ipsorum honestâ conversatione, sufficientia, et conformitate ad Ecclesiasticas Regni Anglicani leges muniti acceſſerint.* Hic Canon imitatur Canonem 12. qui dicitur Apostolorum, *Non recipendus, si apud alium sine commendatiis receptus fuerit.* Huic enim Canoni Harmenopulus in Epitome Sacro. Canon. tit. 3. hoc Scholion subjecit; *Commendatitiæ vero literæ sunt, quæ ab Episcopo Clericis aut Sacerdotibus dantur aliam in urbem proficiscentibus, quæque commendant eos illius Loci Episcopo velut omni culpa carentes.* Harum etiam literarum meminit Canon 12. Concil. Gangrensis, celebrati ante Nicænum Concilium primum his verbis; *Non licuit Presbyteris Civitatis* (multo minùs inferioris gradûs Presbyteris) sine literis Episcopi *in aliena parœcia aliquid agere,*

† Patres Concilij Chalcedonensis, Canon. 4. decernunt; *Nullus quidem usquam ædificet nec constituat Monasterium aut Oratoriam domum, præter consensum Episcopi Civitatis.* Quod decretum Harmenopulus in Epitome Sacr. Can. sic expressit; *Nullus unquam Templum construat absq; sententia Episcopi.*

CAP.

CAP. VI.

Epiſcoporum voluntaria Juriſdictio in Diœceſibus ſuis viſitandis.

IDem in *ſpirituali Dei Domo* Eccleſiâ, quod in materiatis ædificiis uſu venit: Horum decidui parietes niſi ſtatuminentur, illius præcipua fulcra, vitæ pietas, doctrinæ puritas, niſi ſarcta tecta conſerventur, in ruinam vergunt. Hinc viſitationes Eccleſiarum, quoties in deterius cœperint labi, ab ipſis Apoſtolis ſunt inſtitutæ: hoc enim nomine Divus Paulus (1. ad Corinthios 16) ad Corinthios rediturus erat, Eccleſias Macedoniæ inſpexit, & quia non potuit ſtatim Corinthum proficiſci, cogitat illuc Timotheum mittere. Immô idem Apoſtolus Actor. decimo quinto, Antiochiæ apertè dicit Barnabæ; *Revertentes viſitemus fratres per univerſas civitates in quibus prædicavimus verbum*, cogniturі, *quomodo ſe habeant.* Neq; pia & prudentiſſima hæc Apoſtolorum praxis, apud eorum ſucceſſores Epiſcopos, ſeculis ſubſequentibus exolevit. Synodus Tarraconenſis in Hiſpania anno 450 celebrata, canone 7. ſtatuit, ut *antiquæ conſuetudinis* (longè igitur ante hanc Synodum Epiſcopalis diœceſeôn exploratio in uſu erat) *ordo ſervetur, & annuis vicibus diœceſes ab Epiſcopis viſitentur.* Idem decretum in Concilio Toletano quarto 70 Epiſcopis conſtante,

ferè ducentis posteà annis recensitum legimus. Neque mirum est hunc præcipuum Ecclesiasticæ disciplinæ nervum ab Apostolorum ætate, ad tam remota antrorsum secula se extendisse; cùm tam præclari sint ejus in ecclesia usus & ingentes utilitates. Hac enim Episcopali inquisitione doctrinæ cœlestis sinceritas ab erroribus, cultûs externi puritas à superstitione, vitæ Christianæ integritas à criminum inquinamentis, tota que religio à blasphemijs & scandalis vindicantur. Ad quos fines Præsulum in Ecclesia Anglicana visitationes debere collimare, monstrant capita de quibus juxta Canones inquirere, media per quæ crimina exquirere, pœnæ quas reis detectis infligere oportet: quæ jam sigillatim sunt proponenda. Etenim ut Episcopales in nostra Ecclesia visitationes Cathedralium Ecclesiarum, Curiarum Ecclesiasticarum & Hospitalium quæ non sunt ex Regia fundatione, & quorum Episcopus aut nullus alius visitator à Fundatore statuitur, tanquam privatas prætereamus: publicæ & magis generales per totam diœcesin inquisitiones instituuntur, aut de delectis eorum qui Episcopi ordinatione licentiâve peculiarem habent functionem, aut quorumlibet Christianorum.

Prior exploratio est de excessibus & defectibus *Ministrorum* Verbi, *Oeconomorum*, *Ludimagistrorum*, & *Medicorum*, *Chirurgorum*, ac *Obstetricum*. 1. *Ministrorum* verbi, an jugiter, & sincerè Evangelium concionentur, religiosè & reverenter administrent Sacramenta, juventutem & rudiorem plebem in Catechismo diligentur instruant, ægrotantes sedulò visitent,

sitent, vitam piè & sobriè instituant, vestimentis gravitati suæ consentaneis induantur, & reliqua faciant ab Ecclesiæ Canonibus præscripta. 2. de delictis *Oeconomorum*; utrùm invigilent, ut omnes parochiani Ecclesias suas diebus dominicis debitè frequentent, ædes sacræ absque sordibus ab ædituis seu ostiarijs mundè conserventur, pecuniarum à se in Ecclesiæ usum expensarum rationem fideliter reddant, in mores hominum inquirant, & scandalosos Ordinario bis in anno denuncient, ac alia sua munera sincerè peragant 3. de delictis *Ludimagistrorum*; an suos discipulos * Cathechismum publica authoritate hunc in finem Latinè & Anglicè impressum edoceant, ad Ecclesiam sacro quolibet & festivo die adducant, curent ut ibi se quietè & modestè gerant, & inde reversos ad examen revocent quid ex concione (quoties haberi contigerit) didicerint, prælegant suis discipulis aliam Grammaticam quam quæ publica authoritate fuerit approbata. 4. De delictis *Medicorum*, *Chirurgorum*, *Obstetricum*; an exerceant non probati, aut in suis functionibus obeundis aliquod sortilegium vel superstitiosum quid admisceant.

* Sic in Ecclesia Alexandrina (ut refert Eusebius lib. 5. cap. 10.) Pantenus, Origines & alii viri doctissimi scholis Præfecti Catechistæ erant: quos ideò Ambrosius in cap. 4. ad Ephesios vult esse Doctores illic nominatos post Prophetas, Evangelistas, Pastores; cui Chrysostomum Serm. 11. in cap. 4. ad Ephesios, Oecumenium ibid. Augustinum Epist. 59. qui asserunt, Apostolum docentem quæ Pastoralis officij essent partes, idem munus [Pastoris & Doctoris] nominibus designasse, meritò opponamus.

Poste-

Posterior inquisitio de erratis quorumlibet Christianorum est, an in *pietatem*, *justitiam*, aut *sobrietatem* delinquant. Et 1. an delinquant in *pietatem*, per blasphemiam, quæ est in ipsum Deum & sacram Scripturam vel Dei Sanctos convitium aut maledictum; temeraria juramenta, non in judicio, justitia, veritate, aut per res alias quàm Dei nomen præstita; idololatriam, concedentem creaturæ honorem debitum creatori; superstitionem tribuentem certis rebus & verborum aut gestuum observationibus, effectus, qui neque rationibus physicis aut politicis neque Dei verbo nituntur: An per sortilegium, divinationes, incantationes, veneficia, legibus Regni civilibus non coercita; Sepultorum in sacratis locis exhumationes, aut ipsorum sepulchrorum violationes; perjuriam sive læsionem fidei coram Judice Ecclesiastico, vel privato alicui in causis Ecclesiasticis præstitæ: An per hæresin, errorem contra articulos religionis in nationali Synodo 1562. & Regia authoritate stabilitos; schismata aut conventicula illicita ad schisma tendentia; absentiam à divinis in propria Parochia diebus dominicis, & festis; abstinentiam illegitimam à Sacræ Cœnæ perceptione, quæ ter quotannis ad minimum percipienda præcipitur; contemptum baptismi, quem **Miscreantie** appellamus; dilationem Baptismi in articulo mortis; contemptum confirmationis Episcopalis; sacrilegium quando non est felonia; negligentiam (si patres aut matres familiàs sint) in non mittendis liberis & famulis suis diebus dominicis & festis, ut à ministris

ministris in Catechismo erudiantur, donec eundem perdidicerint; contemptum & desidiam, si liberi & famuli à patribus & matribus familiàs missi ad Ecclesiam ut illic Catechizentur, tempore constituto non compareant: an per incuriam in non subserviendo clara voce ministro confessionem, orationem dominicam & symbolum (corpore tunc erecto) recitanti, in non subjicendo responsa quæ in libro communium precum præcipiuntur, non inclinando genua quando confessio, litania, & reliquæ preces recensentur, nomen Domini Jesu quoties inter divina inciderit, non congruâ & humili reverentiâ excipiendo, in capite, quando divina celebrantur, contegendo, nisi ex infirmitatis causa contegatur pileolo aut rica: an per immodestos gestus in Templo, obambulationes, pulsationes campanarum, risum, garritum, quemvis strepitum tempore divini cultûs eum quoquo modo perturbantem; demum quascunque in aliis rebus tunc temporis occupationes, quàm in verbo diligenter audiendo, & precibus devotè effundendis: An per venditionem eduliorum à cauponibus & tabernariis, & quorumvis ab illis receptionem in suas cauponas & tabernas; otiosas ambulationes in cœmeterijs & porticibus Ecclesiarum quando sacra fiunt; temerariam & otiosam ratiocinationem de Scripturis & rebus sacris; profanationem dierum sacrorum & dominicorum in publicis nundinis & mercatibus celebrandis, servilibus & manualibus operibus faciendis, officinis venditioni & emptioni destinatis aperiendis: an per convitia aut contumelias in

in reginem Ecclesiasticum, liturgiam, ritus sacros, formam ordinandi in Ecclesia Anglicana; * communem vitæ usum & consuetudinem cum excommunicatis dum in vivis sunt; & præsentiam, in cohonestanda eorum cum mortui fuerint, sepultura: Denique an per profanationem rerum divinis usibus dicatarum, ut sacri calicis, suggesti, patinæ, mensæ Eucharisticæ, baptisterij, & in particulari per profanationem Templi aut cœmeterij quæ fit pugnis, rixis, lictorum violentiis, (quas vulgò dicimus Arrests,) ludis scenicis, spectaculis, conviviis, tripudiis, lustrationibus militum, mercium venditionibus, & aliis negotiis secularibus.

* *Qui per publicam Ecclesiæ denunciationem ritè ab unitate Ecclesiæ præcisus est et excommunicatus* (inquit art. 22. in Anglicana fidei confessione) *ab universa fidelium multitudine, donec per pœnitentiam publicè reconciliatus fuerit arbitrio judicis competentis, habendus est tanquam Ethnicus et Publicanus.* Qui autem cuipiam habendus est tanquam Ethnicus & Publicanus, est (inquit Euthymius in 18. Matth. *incommunicabilis, cum quo nemo ullam ineat societatem.* Attamen excommunicatio non dirimit officia conjugum conjugibus, filiorum parentibus, servorum dominis, subditorum Magistratibus debita; quod hæc carmina commemorata à glossa in cap. cum delid. ext. de sent. excom. indicant; *Hæc Anathema quidem solvunt, Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Quorum carminum Aqui. 3. p. q. 23. art. 1. hanc brevem tradidit explicationem, *Utile refertur ad verba salutis, Lex ad matrimonium, humile ad subjectionem,* cætera patent.

2. Inquisitio fit, an delinquant in *justitiam*, per calumniam seu mendacem infamationem, fœnerationem, contumeliam quâ malum culpæ, convitium quo malum pœnæ alicui objicitur in causa aliqua Ecclesiastica; an per Simoniacum ambitum & in eo intercessum ad sacrum ordinem vel beneficium consequendum; temerariam administrationem bonorum defuncti, perjurium in spiritualibus cautis & Curiis

Curiis Ecclesiasticis, subornationem perjurii in iisdem, crimen falsi circa aliquem actum Ecclesiasticum, (ut in literis, ut loquuntur, testimonialibus, & sacrarum ordinationum & institutionum instrumentis) commissum: an per contemptum erga verbi ministrum, violentas manus ei injiciendo, quibuscunque calumniis, contumeliis, & convitiis eum impetendo; fotum dissidiorum inter maritum & uxorem, patrem & filium, aut quosvis alios; detentionem legatorum, ad usum pauperum, vel quemlibet alium pium usum destinatorum, aut detentionem bonorum ad publicos usus Ecclesiæ; dilapidationem Ecclesiasticorum bonorum & ædificiorum, defectum utensilium in Ecclesia, ut librorum sacrorum, baptisterij, mensæ sacræ, tapetis sericæ vel alterius materiæ decoræ pro ea contegenda, cistæ ad eleemosynarum custodiam, pulpiti &c. denique an per defectum commodi nitoris & ornatûs in his omnibus quæ parochianorum expensis sunt comparanda.

3. Quæritur an delinquant in *sobrietatem*, per incestum cum consanguinea, vel affini infra gradus Levit. 17. prohibitos, & in tabula hujus libri calci appositâ distinctè enumeratos; Adulterium, tam secundùm Jus Civile, cùm aliena uxor violatur, quàm Canonicum ubi maritus etiam cùm soluta mœchatur; stuprum, cùm vidua corrumpitur; fornicationem, cùm solutus solutam violat; spurcos sermones, cantilenas, rithmos à Musicis vel alijs recitatos; lenocinium & sollicitationem alienæ pudicitiæ, ebrietatem; an per matrimonium initum ante ætatem Ecclesiæ Canonibus

nibus constitutam, nempe, quando mas est infra annum 14. Fœmina 12. & priusquam contrahentes rudimenta religionis didicerint; Matrimonium clandestinum, vel ratione consensus parentum aut tutorum non adhibiti, testium ultra duos non adhibitorum, trinundinæ Denunciationis non adhibitæ per tres dies dominicales vel festos, temporis & loci si non in parochiali Ecclesia in conspectu congregationis, inter horas octavam & duodecimam, solennizetur.

Hæc sunt summa capita delictorum de quibus Episcopi in triennalibus suarum Diœceseôn visitationibus instituunt explorationem: & ut illa, si fuerint contra canones perpetrata, detegant ac coerceant, hoc ordine progrediuntur. Primùm Episcopus per sua scripta significat omnibus verbi *ministris*, *Oeconomis*, *Testibus Synodalibus* (de quorum officijs infra cap. decimo dicemus) trium vel quatuor *Decanatuum*, (tota enim Diœcesis plures decanatus complectens adeò ampla est, ut omnes omnium Decanatuum ministri, œconomi, synodales testes commodè uno loco & simul nequeant interesse) ut statuto die & hora in aliqua primaria horum Decanatuum Ecclesia compareant. Cum autem tempore & loco indictis, Episcopus cum suo Cancellario seu Vicario & Archidiacono sibi assistentibus, ac reliqui ad comparendum moniti convenerint, post effusas apud Deum preces, & concionem ab ipso Episcopo aut exercitato aliquo Theologo habitam de mutuis pastoris in gregem, & gregis in pastorem officijs; omnes coram Episcopo in eminentiori

ori Ecclesiæ parte sedenti se sistunt. Tum Episcopus brevi commemorat Oeconomis & testibus Synodalibus quinam sint præcipui delectus, & quæ crimina, quibus detegendis debent sedulò & fideliter suam operam navare; quàm arctum sit coram Deo conscientiæ vinculum, solenne illud juramentum, quo, sacro codice manu apprehenso & ore deosculato, sanctè spondent se tanquam Deum continuò præ oculis habentes, absque odio, favore, spe, metu, omnique pravo affectu, cum ardenti zelo ad promovendam pietatem, & impietatem extirpandam, omnes infra suas Parœcias delictorum supra enumeratorum aut *facti evidentiâ*, vel *probabilibus indicijs & vehementi suspicione* aut *publica, fama* reos, Ordinario suo detecturos & denunciaturos: & ideò, quâ perhorrescunt tremendas pœnas & maledictiones contentas sacro codice, quas librum manu prehendendo & exosculando, lubenti animo se subituros profitentur, modò pejerent; quà charà est ijs suæ animæ salus pretioso Jesu Christi sanguine parta: eos seriò hortatur & cum ijs acriter instat, ut in gravissimo suo munere fungendo, se verè pios & fideles Dei servos præstent. Deinde, alloquitur verbi ministros, ut cum Oeconomis & Testibus Synodalibus, in criminibus retegendis, operas suas velint communicare, & si hi in suo officio præstando præ timore potentium, aut incuriâ fuerint remissiores, ipsi illa deferant castiganda: si aliqua sint ad publicum Ecclesiæ bonum vel ipsorum functionem spectantia, in quibus insigniter & universim labuntur,

tur, ut quàm citò illa corrigant, paulò vehementius hortatur: admonet eos quàm divinam & sacrosanctam habeant vocationem, ad quam instituendam æternus Deus, mortalis homo; Dominus dominantium, servus servorum factus est; & filius è sinu glorioſissimi ſui Patris in hanc ærumnarum vallem descendit; cujus unicus finis, est immortalium animarum nunquam peritura salus: quam ideò anhelantes debent sitire; & voce, vita, verbis, operibus, præceptis, exemplo, ignaros instruendo, redarguendo immorigeros, hortando segnes, reducendo errantes, confirmando infirmos, afflictos consolando, omniq; quo possunt nisu, jugiter promovere; ut & ipsi immarcescibilem laborum suorum coronam tandem reportent. Atque his, ita summa cum pietate & gravitate peractis, & certo die præstituto, quo verbi *ministri, œconomi, testes Synodales* suas delictorum detectiones Episcopo vel ejus vicario monentur deferre, solvitur hic sacer consessus. Postquam autem tempore designato, delinquentium nomina & habitationes, secundùm Juris formulas Episcopo delatæ fuerint; illos accersit, & quorum erratorum accusantur, indicat: quæ si agnoscantur & leviora sint, delinquentes ab eo animo * sedato & † charitatis affectu tantùm increpantur, redargu-

* *Medici ossa putrida secturi, non irâ se replent quando curatum eunt, sed tunc maximè tranquillitatem animi servare studunt, ne fortè arti obsit turbatio. Quòd si curaturis corpus tantâ opus est animi sedatione, Medicum animarum dic quid deceat.* Chrysost. homil. in B. Babylum Martyrem. † *Nunquam alieni peccati objurgandi negotium suscipendum est, nisi interiùs interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo respondemus, dilectione nos facere et ad lucrandum fratrem. Quicquid enim lacerato animo dixerit, punientis est impetus, non charitas corrigentis.* August. in Epist. ad Galatas.

redarguuntur, admonentur, ut resipiscant, & in posterum fiant cautiores: sin graviora sint, nec agnoscantur, exigit ab accusatis (si fide digni, & verisimile est eos non facile *pejeraturos) ut suâ innocentiam præstito juramento testentur. Quòd si interposito juramento quidpiam asserere vel negare recusaverint, & ad hoc faciendum trinis vicibus solenniter rogati pervicaces perstiterint; sua taciturnitate tanquam propria confessione rei pronunciantur: sicut Photio in octava generali Synodo, Act. 5. interrogato, an reciperet S. Patrum decreta, & nihil respõdente; Præsides Consilij denunciárunt illum sno silentio, condemnationis sententiam potiùs subiturum quàm evasurum. Et tametsi juramento obstricti intentatum sibi crimen repulerint; tamen non dimittuntur insontes, priusquam sustinuerint †canonicam sui purgationẽ, quæ ad superstitiosas purgationes per duellũ, ferri candentis contactum, aquæ fervidæ || hausturn abolendas, à sacris

* Qui antea in perjurio, aut falso testimonio vel alio scelere deprehensus vel notatus fuerit, secundùm Canones ad hanc purgationem non debet admitti propter metum perjurij: sed aliter pro Judicis arbitrio se purgabit.

† Sic Sacerdos Num. 5. tametsi Zelotypi uxorem cum diris & imprecationibus ad veritatem declarandam adjuraverat, tamen pergit v. 19, 20, 21. & reliqua capitis parte, *aquâ amaritudinis* illam ulterius explorare. Neque huic praxi contradicit Divus Paulus Heb. 5. v. 16. docens *omnes controversiæ terminum esse jusjurandum*; quia loquitur non de assertorio, sed promissorio juramento, & de hoc quoque indefinitè, nec causam in qua, nec personarum numerum per quem præstandum, ut sit *controversiæ terminus*, designans.

|| Nam author est Gregorius Turon. lib. 1. de gloria Martyr. cap. 69. & 70. olim in usu fuisse ut crimina alicui imposita & non plenè probata, per examen aquæ purgarentur: qui mos in addit. ad 4. cap. Caroli Magni antiquatur, & lib. ejusdem Caroli, cap. 5. purgatio, quam hodie dicimus Canonicam, restituitur, quandoquidem legimus eam in Concilio Agathensi, Agathæ in Gallia anno 438. celebrato, prius institutam.

Canonibus prodita, hoc ordine instituitur. Episcopus seu ejus Vicarius Imperat *reo* ab Oeconomis denunciato, ut ad purgandum se à crimine sibi objecto, die statuto ad Judicii locum redeat, & secum afferat *Compurgatores* quatuor, sex, vel octo, (secundùm Judicis arbitrium, pro loci distantia & delicti aut personæ qualitate, eorum numerum æstimantis) spectatæ probitatis viros, sibi vicinos, suamque vitam exploratam habentes, qui illum ab hoc delicto immunem esse juramento suo confirment. Interea Episcopus Ministro Parochiæ, cujus *reus* est incola, præcipit, ut per sex ad minimum dies ante tempus purgationi destinatum, hoc suum mandatum publicè in Ecclesia, dum sacra celebrantur, notum faciat omnibus suis Parochianis, indicans iis tum *compurgatorum* tum *rei* nomina, diemque purgationis; ut si aliqui sint contra hanc exceptiones prolaturi, illas Episcopo ejusve Vicario, tempore constituto, exhibeant. Tandem, cum *compurgatores* unà cum *reo* comparuerint, & iis œconomorum detectiones cum singulis illarum circumstantiis clarè fuerint patefactæ, & *reus* forti animo & constanti juramentum *veritatis* præstiterit se non commisisse crimen sibi intentatum, *compurgatores* etiam juramentum *credulitatis* apposuerint, quòd conscientiâ suâ persuasissimum habeant, eum verum jurâsse, subinde censetur insons. Verùm si reus nullos *compurgatores* queat comparare, aut duntaxat legitimis exceptionibus expositos, sententiâ Judicis reus decernitur; & ad tempus si crimen ejus fuerit publicum totamque

totamque Ecclesiam offenderit, * excommunicatur; eique pœnæ excommunicationem humiliato (ut Ecclesiæ † satisfiat, & palàm constet illum resipuisse) infligitur publica pœnitentia, quæ cum magis fuerit solennis, his ritibus peragitur. Die aliquo dominico, initio matutinarum precum, pœnitentiam acturus, capite & pedibus nudus, linteo velamini candido à collo ad crura demisso indutus, albamque virgam manibus gestans, stat mœrens & lachrymabundus in porticu Ecclesiæ, illamque intrantium ardentes apud Deum,

* Attamen vel in illa Ecclesia in qua severitas maximè viget hujus disciplinæ, impossibile est omnes criminosè impios castigari, sed necesse est quosdam tolerari. *Nam plerique* (inquit author libelli de pœnitentia, qui Augustino ascribitur) *propterea nolunt alios accusare quia se per illos cupiunt excusare. Plerique boni Christiani propterea tacent et sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt; quia documentis sæpe destituuntur, ut ea quæ ipsi sciunt, Judicibus Ecclesiasticis probare possint. Quamvis enim vera sunt, quædam tamen Judici non facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione quenquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut coram aliquo sive seculari sive Ecclesiastico judice accusatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere ut cuiquam ipse sit accusator et judex? Non enim temerè et quomodolibet, sed per judicium ab Ecclesiastica communione separandi sunt mali; ut si per judicium auferri non possint, tolerentur velut palea cum tritico, usque ad ultimum ventilabrum, vel pisces mali cum bonis usque ad segregationem, quæ futura est in litore, hoc est, in fine seculi.* Hæc Aug. seu Author libelli de pœn. sub Aug. nomine. Vide etiam Aug. ipsum de verbis Apostoli, Serm. 22. cap. 6. vel juxta alios, Ser. 24.

† *Plerumque dolor alterius occultus est alteri, cum sit coram illo, cui dicitur, Gemitus meus à te non est absconditus. Rectè* igitur *constituuntur ab his qui præsunt Ecclesiæ, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ in qua remittuntur ipsa peccata.* In Enchirid. cap. 65. Augustin. Non quòd hic unicus sit publicæ pœnitentiæ finis, ut Ecclesiæ pro criminis offensa satisfieret: plures enim alii sunt, & admodum frugiferi Ecclesiasticæ hujus disciplinæ usus; nempe 1. Ut hujusmodi spectaculo reliqui absterriti majori cura lapsus vitarent. 2. Ut ipsis lapsis sit incitamentum ad veram peccati considerationem, ad magis serium de peccatis dolorem, ad fidem ardentiùs ambientem Dei misericordiam propter Christum. 3. Ut publicum exhibeatur testimonium Ecclesiam non docere libertatem seu impunitatem peccandi, & sit propter lapsos non malè audiat inter gentes.

ut sibi ignoscat, preces humillime petit. Et cum hoc modo paululum in porticu substiterit, ipsam Ecclesiam ingressurus se humi prosternit, terramque deosculatur, & inde elevatus rectà adit templi meditullium, ubi in loco eminentiori unde à tota congregatione possit conspici, & è regione Ministri sacra celebrantis, erectus stans admonetur, quàm tremendum scelus commiserit, quàm Deo exosum & Ecclesiæ scandalosum; quòd offenso Deo nullo alio modo satisfiat, quàm per cruentum Christi sacrificium, sibi viva fide applicandum, nec Ecclesiæ, quàm per humillimam peccati sui agnitionem, sinceram testificationem suæ pœnitentiæ, doloris, angoris pro illo perpetrato, non modò verbis & voce, sed lachrymis quàm potest uberrimè effusis; sanctè promittendo tanquam in Dei & Angelorum conspectu, se divinâ gratiâ auxiliante, per jugem Dei invocationem, verbi divini meditationem, assidua pietatis & sanctimoniæ opera, contra mundi tentationes, carnis illecebras, & Sathanæ insidias diligentiùs in posterum vigilaturum. Et hæc pœnitens cum perfecerit, magna cum adstantium commiseratione, illique minister peccatorum remissionem annunciaverit; ipse totam congregationē per viscera Iesu Christi suppliciter & obnixè rogat, ut sibi gravissimum scandalum, quo illam effecit, condonare, in suam sanctam communionem illum recipere, pro vero Ecclesiæ membro reputare, & in horum testimonium unà cum eo, dominicam orationem alta voce recensere ex Christiana sua charitate dignentur. Atque eadem olim fuit, ferè per omnia,

pœ-

pœnitentium conditio publicam exhomologesin in primæva Ecclesia subeuntium. Authore enim Hieronymo in Fabiolæ Epitaphio, *induebant saccum*; referente Sozomeno lib. 7. cap. 16. *Seipsos in terram pronos abjiciebant, & Sacerdotibus, tanquam in Theatro audiente Ecclesiæ multitudine, fassi sunt sua delicta*; Eusebio teste lib. 5. cap. 25. *Ipsam Ecclesiam ad commiserandum proclivem lachrymis defluentibus per misericordiam Christi multis precibus*, ad suam cum fidelibus communionem recuperandam sunt obtestati: ut veterum pœnitentiam Tertullianus lib. de pœnitentia verè descripserit *prosternendi & humilificandi hominis disciplinam esse, quæ conversationem injungit misericordiæ ilicem.* Atque hic præcipuus est, licèt non unicus finis nostræ Episcopalis visitationis in Anglia; quæ cùm sit ultimum voluntariæ Jurisdictionis in Episcopis membrum; ei jurisdictio illorum contentiosa proximo capite adnectenda est.

CAP. VII.

Contentioſa Juriſdictio Epiſcoporum.

EPiſcopos ab ipſis Apoſtolis conſtitutos, in cauſis Eccleſiaſticis contentioſam juriſdictionem ex *judice, actore, reo, cauſa controverſa*, conſtantem, in Clericos & in Laicos exercuiſſe teſtis ſit Timotheus; qui * Epiſcopus Epheſi à Divo Paulo conſtitutus, ab eo in mandatis accepit, ne *adverſus Presbyterum accuſationem*, (ad eum condemnandum non ad inquirendum de eo) *acciperet, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus.* Quo Canone Apoſtolico, licèt per *Presbyterum* non intelligeremus cum Chryſoſtomo quemlibet hominem ſeniorem, ſed tantùm ſeniorem Clericum; tamen Laici non excluderentur ab Epiſcopali Timothei foro, ſed potiùs tacitè includerentur.

* Oecumenius, ubi Paulus ad Timotheum ait, *Petieram abs te ut Epheſi manares*, adjicit, ἐνταῦθα δέ αὐτὸν ἐπίσκοπον κατεστησεν, *ibi eum Epiſcopum ordinaverat.* Hoc ex ipſo D. Paulo probabile eſt, qui 2 Timoth. 2. ſic alloquitur Timotheum Epheſi agentem; *Admoneo te ut exuſcites Dei donum quod in te eſt per impoſitionem manuum mearum.* Neque ſibi contradicit, 1 Tim. 1. 4. eundem Timotheum ita hortans; *Noli negligere gratiam quæ tibi data eſt per impoſitionem manuum Presbyterii.* Nam hîc Presbyterium non eſt nomen collectivum Presbyterorum cœtum ſed nomen officii eorum munus deſignans, & perinde valet (inquit celebris Theologus †) ac ſi dixiſſet, *Fac ut gratia quam per manuum impoſitionem accepiſti, eum te Presbyterum crearem, non ſit irrita:* & *Presbyteri* ac *Epiſcopi* nomina Act. 20. Phil. 1. ſicut, & *Apoſtoli* ac *Epiſcopi*, Act. 1. 20. &, Ambroſio interprete, Epheſ. 4. 11. promiſcuè uſurpantur.

† Calvin. in hunc locum.

tur. Cum enim tria sint genera probationum quibus ab accusatore rei convincuntur, *Indicia seu præsumptiones*, *Instrumenta*, *Testes*, & ultimum censeatur omnium firmissimum; Apostolus (sicut rectè infert Ambrosius) innuit Timotheo, ut difficiliùs admitteret accusatores adversùs Presbyteros, propter sacram eorum dignitatem, quàm adversùs Laicos: nempe tametsi contra hos ob accusationem probatam per indicia & instrumenta; tamen adversùs istos, non nisi accusatione probata per testes, sententiam (ut loquuntur Jurisconsulti) condemnatoriam ferret. Neque hujus jurisdictionis amplitudinem diminuerunt subsequentium seculorum Episcopi: plures enim ex iis in Concilio Antiocheno congregati, Canone primo statuerunt; *Laicos excommunicatos fore & ejectos ex Ecclesia, si contumeliosius adversùs ea quæ in sancta & magna Synodo Nicæna rectè decreta essent, perstiterint.* Et quartum Oecumenicum Concilium 630. Episcopis constans, decrevit; *Si quis Laicus in turpibus & nefariis lucris Simoniaci ambitûs, ad sacros ordines consequendos, mediator apparuerit, anathematizetur.* Si autem Episcoporum cœtus in Laicos universim; possunt etiam singuli in singulos sententiam excommunicationis denunciare, ideòque & eos ad judiciorum examen subeundum adigere; ut delictum quo excommunicationem meriti sunt, confiteantur, aut illius per varia probationum genera *Rei* peragantur. *Nos enim* (inquit August. Episcopus lib. de pœnit) *in quenquam sententiam ferre non possumus, nisi convictum vel sponte confessum.* Et

hoc contentiosum Episcoporum circa causas Ecclesiasticas judicium, Imperatori Justiniano visum est adeo sacrum; ut authent. 123. illud adversus Judicum civilium incursus pio hoc decreto muniverit: *Si Ecclesiastica causa sint, nullam communionem habeant Judices civiles circa tales examinationes; sed sanctiss. Episcopus secundùm sacras regulas his causis finem imponat.* Hæ autem causæ possunt esse vel de criminibus oppositis pietati in Deum, aut illis justitiæ & temperantiæ partibus, quæ cum pietate arctissimum habent nexum, qualia præcedenti capite enumeravimus, vel de rebus sacris. Res autem sacræ tales indigitantur, aut ratione personarum quarum peculiari usui dicantur, ut beneficia Ecclesiastica, decimæ, oblationes, quibus aluntur Ecclesiæ pastores; aut propter actiones quibus inserviunt, ut sacræ ædes & cœmeteria in quibus Dei cultus celebratur & administrantur Sacramenta; aut respectu suæ primæ institutionis, ut Matrimonium à Deo ipso in Paradiso ordinatum, & Christi præsentiâ ac primo miraculo ornatum, aut ex innata sua conditione, quales sunt ultimæ defunctorum voluntates seu testamenta. Nam hæc, quamvis Ethnicorum, semper habita fuere sancta & inviolata; quantò magis sacra censenda sunt testamenta Christianorum, qui in ijs animam Deo, corpus sub spe beatæ resurrectionis loco sacrato, bona egenis Christi membris legare solent? Atque Episcoporum in Anglicana Ecclesia jurisdictio sub supremo Regiæ Majestatis jussu & imperio, in has omnes sacras causas & alias illis vicinas se extendit;

tendit; quæ ad hæc capita, & hunc in ordinem redigantur. Causæ, civiles sunt, vel criminales. In *civilibus*, *Actor* persequitur ipsum jus & interesse, ut satisfactio fiat de damno vel injuriâ allatâ: in *criminalibus*, *Accusator* aliquod crimen judici defert propter publicam punitionem, & in communem plurium utilitatem, qui metu pœnæ à scelere coercentur. Et quando *Actor* persequitur ipsum jus seu interesse, hoc potest esse vel publicum, ut cum actio intenditur pro contributione in reparationem Ecclesiæ & cœmeterij insumendâ, & pro acquisitione alicujus rei quæ desideratur in Ecclesia; vel privatum cum jus petitur in causis *Matrimonij*, *successionis in bona defuncti*, & in causis *Ecclesiasticorum jurium*.

Jus autem in causis *matrimonij* diversimode petitur. 1. Ad illud *conciliandum* vel per *actionem directam*, ut juxta contractum celebretur; & post celebrationem, quando alter conjugum alteri vi vel dolo aufertur, ut restituatur, & quando alter alterius asperitate cogitur discedere, denuò recipiatur, humaniùs tractetur, & ei præstentur obsequia conjugalia: vel per *actionem contrariam*, veluti quando intendimus actionem *jactationis* matrimonij contra eum, qui falso jactat contractum matrimonialem intercessisse in prejudicium nostrum. 2. Ad matrimonium *supportandum* quando post nuptias agitur de legitimis vel illegitimis natalibus, & de pecunia in dotem cum sponsa promissâ. 3. Ad matrimonium *dissolvendum* quoad præ uppositum vinculum, ob defectum consensus ex metu, ex

ætate

ætate infra 14. maris, & 12. fœminæ annos, vel ex personæ ignorantia; ob præcontractum alterutrius cum alio matrimonium, frigiditatem perpetuam & incurabilem, consanguinitatem vel affinitatem contractam per concubitum licitum aut illicitum. Vltimò ad matrimonium *separandum* secundùm thorum & mensam, vel propter adulterium. vel propter nimiam sævitiam; & in separatione ex hac posteriori causa peractâ, agitur ad comparandum alimoniæ sumptus, quibus uxor in quam sævitum est, se sustentet.

Jus *successionis in bona defuncti* petitur, cum testamento ab eo condito, agitur ad illud exhibitum probandum vel improbandum; vel ad legatum aliquod consequendum: & si aliquis mortuus sit intestatus aut quasi intestatus, (quod fit cum nullus sit, qui onus executionis testamenti in se suscipere velit) ad consequendam administrationem, aut contra temerarium administratorem.

Causæ *Ecclesiasticorum jurium* sunt decimæ prædiales, personales vel mixtæ; oblationes debitæ pro consuetudine in qualibet anni quarta vel alijs temporum vicibus, in baptismis, matrimoniorum benedictionibus, gratiarum actione à puerperio, sepulturis; mortuaria etiam, impensæ ob dilapidationes ædificiorum Ecclesiasticorum per prædecessorem factas, pensiones indemnitatis vel visitationis ratione plerumque præstandæ, Synodalia, salaria ex causis extrajudicialibus Curatis & Ædituis debita; denique jura beneficij vel *acquirendi*, cùm præsentatum Ordinarius absque legitima causa rejicere videtur; vel *retinendi* contra

contra Ordinarium aliumve quemlibet, qui beneficio ejusve possessione absque legitima causa nos spoliatos volunt; uel *recuperandi* contra Ordinarium, qui minùs justè nos spoliâsse beneficio ejusve fructibus videtur, & contra quemlibet alium, qui in nostrum beneficium intrusit se propriâ aut horitate aut prætensâ Ordinarij admissione. Processus in his omnibus causis dijudicandis, non ad libitum Judicis, sed ad juris Canonici jure Cæsareo adaucti & peculiaribus nostræ Ecclesiæ Constitutionibus à vitiis expurgati, amussim formatus, primùm inchoatur vel à *vocatione Rei* in jus per *monitionem* factam ei præsenti à Judice; vel per *citationem*, quandoque personaliter, aliquando vijs & modis præstitam; nempe denuntiando illam publicè in Ecclesia parochiali, aut ad locum solitæ habitationis *rei* affigendo. Hanc *citationem* sequitur litis *contestatio*, quæ propriè fit quando certum aliquid rita ab actore affirmatur & *Reo* negatur, ut inde status controversiæ, sive facti, sive juris necessariò emergat. Et, si controversia juris est, legibus Ecclesiasticis suprà capite secundo descriptis: si facti, partim probationibus per *testes*, *Instrumenta* authentica, privata, originalia vel transumpta; per indicia levia, probabilia, violenta; partim legitimis in hæc omnia exceptionibus dirimitur. Et quoties graviores causæ, quas vocant *plenarias*, præsertim in Curijs Archiepiscopalibus occurrunt, in his probationibus & exceptionibus examinandis, ab advocatis utriusque Juris peritissimis, non modò Canonici sed ipsâ Juris Cæsarei penetralia ex Menochio

de

de *præsumptionibus*, Farinachio de *testibus*, Mascardo de *probationibus* alijsque doctissimis Jurisperitorum de ijsdem argumentis voluminibus, tanquam media Judicem dirigentia, promuntur affatim & summa cum accuratione ventilantur. Quibus ultimo loco, definitiva Judicis sententia ejusque executio subnectuntur.

Et hæc de Ecclesiasticis causis, quas appellant *civiles*. Sequuntur *criminales* præcedenti capite sigillatim enumeratæ; de quibus in Ecclesia Anglicana, ordinariâ Episcoporum authoritate (de qua solùm impræsentiarum verba facimus, & non de suprema & immediata potestate Regia, qua ordinantur Ecclesiastici processus, *secundùm*, ut dicunt, *tenorem literarum patentium* ab ea manantium) judicium variè instituitur; per viam *Accusationis*, *Denuntiationis*, vel *Inquisitionis*. Per viam *Accusationis*, quando quis suscipit se crimen contra accusatum probaturum, & hunc in finem testes producit, à judice citandos & examinandos. Per viam *denunciationis*; cum Oeconomi qui publici sunt ministri ad munus suum fideliter obeundum jurejurando obstricti, qualibet triennali Episcopi visitatione, & per binas vices annuatim, judici Ecclesiastico delicta detegunt: sed probationis onus, quia præsumuntur quicquid hac in re faciunt, non odij & malevolentiæ sed fidei suæ liberandæ causâ fecisse, minimè subeunt. In utroque judiciali procedendi modo, non necessariò præcedere debet privata accusati vel denunciati admonitio, Matth. 18. præscripta. Nam peccata quædam *Judici-*

is,

is, famâ, facti (ut loquuntur) *notorietate*, vel alijs medijs in aliqua vicinia aut communitate publica ſunt; quædam privata & non aliquo horum modorum patefacta. Et hæc rurſum vel tantùm afferunt diſpendium ei in quem peccatur, aut cedunt quoque in aliorum damnum, & ſuâ naturâ inſtar peſtis ſunt ſubitò contagioſa; cujuſmodi ſunt ſchiſma, & hæreſis quæ *ſerpunt ut cancer*: Quia eorum patroni omni quo poſſunt niſu, ubique ſua zizania ſatagunt ſeminare, *ut poſt ſe diſcipulos abducant*. Peccata quando privata ſunt & ei ſolum ſunt detrimento in quem peccatur, (*ſi in te peccaverit*;) delinquentes, ut monet Chriſtus, privatim *arguendi* ſunt (niſi ex aliqua circumſtantia, prudenti conſtiterit eos hujuſmodi correptione fore nequiores,) antequam * Eccleſiæ, id eſt, (Chryſoſtomo, Theophylacto, Euthymio Interpretibus) *Eccleſiæ* † *Præſidibus ac Præſulibus*, Evangelicè ‖ denunciantur. Quoniam ſicut Medicus

* Sic Auguſtin. tractat. 50. in Joan. his verbis *Si hoc* (nempe Tibi dabo claves, &c.) *Petro tantum dictum ſit, non facit hoc Eccleſia*: ſub *Eccleſiæ* nomine rectores Eccleſiæ, Petrum & cæteros Apoſtolos eorumque ſucceſſores complectitur; quibus unà cum Petro hanc poteſtatem à Chriſto donari voluit, ſecutus Ambroſium lib. de dig. Sacerd. cap. 6. dicentem: *Claves illas regni cælorum in beato Petro Apoſtolo cuncti ſuſcipimus Sacerdotes.*

† Per Eccleſiæ Præſules Chryſoſtomus non intelligit tantum illorum cœtum, ſed etiam ſingulos ſeorſim. Nam homil. 61. in Matth. in hæc verba; [*Amen dico vobis quicquid ligaveritis in terra,*] verbis, [*Dei Eccleſiæ*] proximè ſubnexa, ita ſcribit; *Non dixit Præſuli*, (numero ſingulari) *vinculis iſtum conſtringe; ſed ſi ligaveris, hæc vincula indiſſolubilia manent.*

‖ Secundùm Scholaſticos & Canoniſtas, eſt vel Evangelica denuntiatio qua crimen denuntiatur Prælato tanquam Patri ad proximi delinquentis emendationem; vel denunciatio judicialis, qua crimen defertur Prælato tanquam Judici ob publicam ejus punitionem: non in hac ſed in illa, ordo Matth. 18. à ſervatore præſcriptus, obſervandus eſt.

si fieri potest, ægrotum sine alicujus membri amputatione sanat: sic charitas Christiana salutem fratris studet promovere absque famæ jacturâ, *ne* (ut Hieronym. in 18. Matt. admonet) *si semel pudorem & verecundiam amiserit, permaneat in peccato.* Sed tametsi delicta sint privata, tamen si alijs sint perniciosa & virus suum citissimè diffundant, absque nulla prævia delinquentis admonitione, Ecclesiastico Judici per accusationem vel denuntiationem illico deferuntur. Spiritualis enim plurium pernicies, cui hac denunciatione vel accusatione remora injicitur, majus damnum est, quam unius hominis famæ jactura. Et si hujusmodi occulta peccata, multò magis famâ, indicijs alijsve medijs propalata, nulla privata monitione præeunte, Ecclesiasticis præsulibus, ijsdem modis deteguntur. Reus enim, crimine ejus jam divulgato, hac detectione nullam famæ jacturam patitur, & publicâ criminis vindictâ ac punitione scandala auferuntur infirmis, & improbi à peccando deterrentur. Divi Pauli ad Timotheum Ephesi Episcopum præceptum hoc est; *Peccantes* peccatis manifestis (ut hunc locum August. 16. Serm. de verbis Domini interpretatur) *coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.* Tertius modus instituendi judicium Episcopale in Ecclesia Anglicana, est per specialem *inquisitionem* contra certam personam: in qua Episcopus vel alius Judex Ecclesiasticus, ne deficientibus accusationibus & denunciationibus, delicta impunitâ maneant in gravissimum Ecclesiæ detrimentum; *ex officio suo* vel interrogat alias personas

ex

ex eadem vicinia cum *reo*, de ejus crimine, illarum informationes & testimonia contra eum assumendo; vel sciscitatur ipsum *reum* de suo delicto, ut illud in judicio detegatur & detectum censuris Ecclesiasticis castigetur. Alias personas interrogat, cùm crimen prius fuerit (ut dicunt) notorium, aut criminis perpetrati fama, indicia ex quibus fama statim est secutura, aliave legitima ejus retegendi media *per clamosam insinuationem*, id est, frequentes hominum fide dignorum sermones, ad ejus aures delata præcesserint. Nam quivis Judex tenetur bono publico consulere cum minimo bonorum cujuslibet privati hominis dispendio, quibus Prov. 24. 1. bonum nomen præcipuè accensetur, quod haud parum læditur, cum de aliquo apud alios fit inquisitio, tametsi postea insons appareat. Ipsum *reum* etiam, interposito ad veritatem declarandam juramento, modò sit verisimile eum non pejeraturum, de suo delicto sciscitatur; cum delicti fama, manifesta indicia, & reliqua illud detegendi media, duobus testibus fuerint comprobata: idque jure, quando enim rei crimen per famam, indicia, aliave media quadantenus sit detectum; tum *reus*, illud prodendo, ipse se minimè accusat, sed ab his, divinâ justitiâ res ita ordinante ac disponente, potiùs accusatus est: & ideò ad gloriam & justitiam Dei clariùs manifestandam, crimen perpetratum sincerè & apertè confiteri obstringitur. Achani scelere Josuæ 7. quadantenus cœlitus patefacto, dicit Jehosua Achano; *Fili mi tribue nunc gloriam Jehovæ Deo Israelis, & ede ei confessionem, & enuncia*

enuncia mihi quid feceris. Et in hoc genere judicialium processuum, Episcopi aliique Judices Ecclesiastici habent totius mundi Judicem, quem imitentur. Nonne à Deo, Genes. 18. actum est contra Sodomitas per *inquisitionem*, sola in sacro contextu, post perpetrata scelera, famâ præeunte? *Clamor Sodomorum* (inquit Deus) *cum multus sit, descendam & inquiram an secundùm clamorem qui pervenit ad aures meas, omninò faciant.* Similiter Genes. 3. idem tremendus Judex tantùm ex præcedentibus, in contextu sacro, primæ inobedientiæ indiciis, egit contra Adamum, eum interrogando & examinando. Cum enim levi quodam Dei per hortum adventantis strepitu audito, se abscondisset à facie Dei, & inter densas arbores delituisset (quæ fuere conscii animi indicia) *Deus inclamavit ad illum; ubi es?* Interrogationes ei proposuit; *Quis indicavit tibi nudum te esse? An de fructu vetito comedisti?* Quæ à Mose cum humanitùs, & per allusionem ad consuetudines judiciorum inter homines, de Deo dicantur, & in sacris Scripturis Deus nusquam humanitùs perhibeatur iniquè egisse; hominum judicia eodem ordine instituta, æquissima esse testantur: quamvis Ecclesiastica judicia non ita hominum sunt, quin ut *ea summa futuri judicij præjudicia esse* in Apologetico doceat Tertullianus; quod illorum præsidibus, ad istius severitatem, sinceritatem, æquitatem, justitiam æmulandam, acuminata calcaria admovere deberet.

CAP.

CAP. VIII.

De Cathedralibus Ecclesiis.

QUemadmodum in civili, sic in Ecclesiastico regimine unaquæque Civitas suum habuit territorium, quod Jurisconsultis est *universitas agrorum intra fines uniuscujusque civitatis*; & in Conciliis & Historia Ecclesiastica *Parœciæ* nomine significatur. *Quæ sunt in unaquaque Ecclesia* (inquit Concilium Chalcedonense Canon. 16.) *rurales parœciæ aut regionales, inconcusse apud eos maneant qui illos tenent, Episcopos.* Cum verò in his cujusque urbis parœciis & territoriis essent multi vici, & minora oppida, his singulis singuli, sed ipsi urbi plures Presbyteri præficiebantur: & hi, à Concilio Ancyrano Canon 13. *Presbyteri urbis* nominati, illis, quos idem Concilium *Regionarios Presbyteros* vocat, ita præeminebant dignitate; ut *regionarii Presbyteri in Dominico civitatis offerre non potuissent præsente Episcopo & Presbyteris urbis, neque panem dare in oratione neque calicem.* Et quandoquidem Episcopi ex antiquissimâ Ecclesiæ praxi & tandem Sardicensis Concilii Canone sexto, *non in vico aut modica civitate, cui sufficiebat unus Presbyter*, sed in urbibus celebrioribus, ad quas verbo vitæ pascendas plurium Presbyterorum exigebantur operæ, constituti, memores erant moniti Solomonis, *Salus est in multitudine*

titudine consiliariorum; hos urbium Presbyteros, in gravioribus Ecclesiæ negotiis, sæpius ad deliberandum sibi adsciverunt. Cornelius Episcopus Romanus ac Cyprianus Episcopus Carthag. in suis Epistolis, testantur se in iis quæ ad suarum Ecclesiarum administratiouem pertinebant, usos esse consilio suorum * Presbyterorum, quos idcò Hieronymus ad Rusticum, *Senatum Ecclesiæ* appellavit. Quia autem frequentes erant harum consultationum occasiones, Augustinus Episcopus Hipponensis cum Epist. 137. multos sub se Presbyteros haberet; ex illis (ut Possiduus, in ejus vita refert) quasi collegium instituit Clericorum, *qui cum ipso semper una etiam domo ac mensa sumptibus communibus alsti & vestiti sunt*, & quos Epist. 110. vocat *Collegas*, quorum in gubernandâ Ecclesiâ operâ utebatur. Hunc Ecclesiæ Senatum, & hoc Collegium, nostræ Eceleſiæ Cathedrales aliquo modo referunt, atque in præcipuis imitantur. Nam in hisce Ecclesiis plura sunt membra: 1. *Lectores Epistolæ & Evangelii.* 2. *Pueri & viri* † *Symphoniaci*, qui Regiis injunctionibus tenentur

* Hi Presbyteri qui non solum Episcopo in Ecclesiæ regimine assistebant, sed etiam verbum prædicabant & Sacramenta administrabant, erant *seniores Ecclesiæ*; *sine quorum* (inquit Ambrosius) *Consilio*, non sine quorum authoritate, *nihil* ad publicum Ecclesiæ bonum spectans, *agebatur in Ecclesia*. Unde Cyprianus cum Clerum seditiosum habuisset, & plebem partium studiosum, etsi ad utriusque benevolentiam conciliandam, Epist. quinta profiteretur, *à primordia sui Episcopatus se statuisse nihil sine eorum consilio & consensu sua privatim sententia gerere*: tamen Epist. 69. omnium hæreseôn & scismatum fontem indicans, ait; *Unde schismata et hæreses ortæ sunt et oriuntur, nisi dum Episcopus qui unus est* (in unaquaque Ecclesia, & ideo solus authoritate) *præpositi, superbâ quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus judicatur?* Vide quoque Cypriani Epist. 55. & ejus librum de unitate.

† Cantores sacri in Concil. Laodiceno, Can. 22. & 23. inter eos qui sunt Ecclesiastici ordinis, recenſentur.

tenentur *hymnos in Dei omnipotentis laudes cantare iis modulationibus, ut ipsæ hymnorum sententiæ unà intelligantur.* 3. *sunt subcanonici, sive vicarij chorales*, matutinis & vespertinis precibus publicè in choro quolibet die celebrandis, frequenti Eucharistiæ administrationi servientes, & per Canones *ne ignavi in otio vitam ducant, studio scripturarum incumbentes.* 4. *sunt Canonici seu Præbendarij*, quorum in antiquioribus Ecclesijs aliqui sunt non *Residentiarij*, sedes habentes in choro, sed non suffragium in Capitulo, & secundùm Ecclesiarum suarum consuetudines, statis vicibus concionantes; alij *Residentiarij*, quitum sedent in choro, tum ferunt suffragium in Capitulo, ac quibus toto necessariæ suæ *residentiæ* tempore incumbit, ut sint hospitales, & non modò in Cathedrali Ecclesia cujus sunt Canonici, sed in alijs etiam Ecclesijs ejusdem diœceseos, , undè ipsi vel ipsorum Ecclesiæ aliquod vectigal seu annuos reditus percipiunt, Evangelium diligenter annuntient. Postremò, in Cathedralibus Ecclesijs antiquæ fundationis, sunt Officiarij, ut *Thesaurarius, Præcentor, Cancellarius, Subdecanus* (quorum varia sunt juxta diversarum Ecclesiarum statuta munera.) Et his omnibus præest Decanus, qui *nonaginta dies ad minimum singulis annis in Ecclesia sua Collegiata residere, per totum hoc tempus verbum divinum sedulò prædicare, hospitalitatem exercere, festis solennibus (si ad hoc peragendum præsens non fuerit Episcopus) decenti capa amictus sacram cœnam administrare*, canonibus obstringitur. Jam verò Episcopus hunc Decanum, & ali-

quos ex Canonicis & Officiarijs recensitis, in Presbyteris & Diaconis * ordinandis & à beneficio vel officio † removendis, in colloquijs cum inquietis & turbulentis schismaticis ad eos in ovile reducendos & sedandos, in præfractis hæreticis juridicè condemnandis, ac anathematizandis, in sententia excommunicationis solenniori adversus facinorosos & infames peccatores denuncianda, & in alijs Ecclesiæ publicis & maximi momenti negotijs transigendis, sibi associat. Neque Ecclesiæ Cathedrales Episcopis tantùm in regimine suppetias ferunt: Sed cùm suas sedes habeant in urbibus, ad quas totius dœcesis ministri quandoque confluunt, quarum incolæ sæpius supra rudioris plebis captum literati sunt & salutari religionis notitiâ imbuti, in quibus plures pauperes & egeni, & non pauci infirmi ac devoti senes laboribus & occupationibus prorsus inepti, his omnibus maximo sunt usui & emolumento. Ministris verbi per Episcopales diœceses villarum & oppidorum curæ præfectis, si quæ in legendo aut cum alijs differendo

* *Presbyter* (inquit Concilium Carthag. 4. Canon 3.) *cum ordinatur, Episcopo benedicente & manum super caput tenente, etiam omnes Presbyteri astantes manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant*, Cui concenunt Ecclesiæ Anglicanæ Canones decernentes, Presbyteros & Diaconos ordinandos, *assistente non solum Archidiacono, sed Decano & duobus ad minus Præbendarijs, aut (illis legitimè detentis) quatuor alijs gravioribus personis, qui Magistri artium ad minimum extiterint, & prolegitimis concionatoribus legitime approbati fuerint.*

† Canon est Ecclesiæ Anglicanæ, ut Episcopus sententiam *deprivationis* vel *depositionis* pronunciet, *adhibitis Cancellario, Decano, & aliquot Præbendarijs Cathedralis Ecclesiæ, si prope illam Curia teneatur; vel Archidiacono aliisque ad minus duobus gravibus Ministris, concionatoribus*, Hæc forma deponendi vel deprivandi Presbyteros propè accedit ad præscriptum Concil. Hispalen. 2. can. 6. *Episcopus Sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, solus auferre non potest.*

do occurrunt dubia; à Cathedralium Eccleſiarum Decano & Canonicis qui ruralibus Presbyteris eruditione præcellerent, illorum enodationem petunt; cives ad ſolidum verbi cibum percipiendum præparati, Decani & Canonicorum accuratioribus concionibus erudiuntur; pauperum viſcera, illorum hoſpitalitate refocillantur; & decrepiti ac pii ſenes Sacra in his Eccleſijs frequentiùs celebrata adeundo majori ſui cum ſolamine vitam tranſigunt.

CAP. IX.

De Epiſcoporum in Eccleſia Anglicana Cancellarijs, Archidiaconis, & Decanis ruralibus.

DIvina ſapientia per Dei amanuenſes, Prophetas & Apoſtolos ſcriptis mandata (Pro. 2.) docet *omnem orbitam bonam*, ducentem ad vitam æternam; & *tota Scriptura* (2. Timoth 3.) *divinitùs eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in juſtitia: ut perfectus ſit*, non modò quivis è fidelium grege, ſed *homo Dei*, id eſt Propheta, (2. Reg. 5.) Paſtor. (1. Timoth. 6. *ad omne opus bonum*, æternæ ſalutis adeptioni neceſſarium, *perfectè inſtructus*. Nam verbis proximè præcedentibus

Apoſtolus aſſeruerat ipſum Timotheum *ſacris literis poſſe reddi ſapientem*, non omnimodo, ſed *ad ſalutem*. Hinc multa ſunt Eccleſiæ uſui quandoque commoda, ſine quibus ſalutem & vitam æternam conſequamur, in ſacra pagina minimè exarata; quæ ideo non divinâ ſolo verbo ſcripto ſuffultâ, ſed humanâ fide (qua etiam renitente ac reclamante quicquid agimus peccatum eſt, Rom. 14.) prudentum & piorum virorum authoritati aut naturæ lumini tantum innixâ, vera & licita eſſe credimus. Hujus generis plura occurrunt in Chriſtianæ Eccleſiæ politia, quæ (ſicut in Judaica fuit Eccleſia infra anguſtos unius regionis fines concluſa) non poteſt eſſe in quibuſdam minutioribus circumſtantijs ubique una, propter immenſam varietatem regionum, Nationum, Rerum publicarum, per quas diffunditur. Vnde, etſi *Moſes* (Heb. 3.) *fidus in tota Dei domo tanquam famulus*, ferè minutiſſima quæque ad Eccleſiam ſub veteri Teſtamento gubernandam tradiderit; tamen Chriſtus quia magis fidus eſt *ſuper Dei domum ſicut filius*, ejuſque Apoſtoli ſub novo Teſtamento tantùm generalia & magis neceſſaria jecerunt Eccleſiaſtici Regiminis fundamenta: reliqua verò diverſis gentibus & Regnis, ſecundùm diſpares illorum conſuetudines adaptanda, particularium Eccleſiarum prudentiæ permiſerunt. Tertullianus lib. de fuga in perſecutione, tantùm tres ordines, quibus Eccleſia regitur, tanquam à Chriſto ejuſque Apoſtolis conſtitutos, recenſet. Et longe poſt eum Optatus; *Quatuor* (inquit) *ſunt genera* (divinâ nempe inſtitutione) *capitum in Eccleſia*,

Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium. Verùm Christianis posteà Ecclesiis, & unà Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum occupationibus auctis; unum idemque munus in plura dispartitum est, & alij Clericorum ordines Ecclesiasticâ authoritate sunt invecti. Hinc enim, *Ecclesidici* seu Episcoporum *Ecdici* Concilij Chalcedonensis canone secundo, *Archidiaconi* apud Hieronymum ad Evagrium, *Periodeutæ* Concilij Laodicæni canon. 56. *Chorepiscopi* Concil. Njcæni canon. 8. Denique in Decretis Gratiani, ex antiquis Patribus & Concilijs consutis, *Archipresbyteri urbani & Regionarij* emanârunt: quorum præcipua munera, Episcoporum hodie in Ecclesia Anglicana Cancellarij, Archidiaconi & Decani rurales administrant. Etenim Cancellarij utriusque juris periti, Episcopis in audiendis Ecclesiasticis causis contentiosæ jurisdictionis præcipuè sunt adjumento; cujusmodi officio antiquitus fungebantur *Ecclesidici* seu Episcoporum *Ecdici*, quos doctissimus Gotofredus in annotationibus ad Codicem de Episcopis & Clericis, ex Papia colligit *fuisse Defensores & adjutores Episcopi nulli certo loco deputatos, ejusque vicem* in hujusmodi negotijs *implevisse*. Archidiaconorum officium in Ecclesia Anglicana, est primò (sicut & Gregorij Magni ætate, ut ex ejus lib. 1. Epist. 10. licet colligere) curare bona Ecclesiæ, inquirendo de ejus sartis tectis & supellectile: deinde more veterum *Periodeutarum* (quos scribit Balsomo in explic. canon. 56. Concilij Laodicæni, olim *circumcursâsse & spiri-*

tualia delicta observasse) *inquirere de excessibus Ecclesiasticis*, & graviora quæque referre ad Episcopum, cujus hac ratione *Oculi* appellantur. Postremò Presbyteros admissos ab Episcopo ad *titulum* beneficij, in ejus *possessionem* deducere; & reliquam prout *præscripserint*, jurisdictionem Ecclesiasticam exercere. Decani rurales veteris Ecclesiæ Chorepiscopis & Archipresbyteris *Regionarijs* haud dissimiles, ab Episcopis qui illos eligunt, plerunque adhibentur, ad covocandum Clerum, ad significandum Presbyteris & Diaconis infra suos *Decanatus* non nihil (ut fit) per literas, ad inducendum in beneficia vice Archidiaconi remotiùs agentis. Atque hæc omnia conducunt ad Ecclesiæ regimen in foro exteriori: in interiori conferunt verbi prædicatio & Sacramentorum administratio per ministerium presbyterorum, de quibus agemus capite subsequenti.

CAP.

CAP. X.

De Presbyteris, Diaconis, Oeconomis, Testibus Synodalibus, Ædituis.

VOcatio Presbyterorum *externa* vel *interna* est, quæ non consociantur perpetuò, ut sacri Ministerii efficaciam à Dei institutione, & non ministrantium dignitate manare discamus. *Interna* illorum est quos Deus ad sacrum Ministerium idoneos fecit, donando illis facultatem & ardens desiderium promovendi regnum Dei, Deumque glorificandi per Doctrinæ Cœlestis promulgationem, Sacramentorum administrationem, & Christianæ vitæ sanctimoniam. *Externa* verò bipartita est, cum sit vel ad ipsum sacrum Ministerium, vel certum locum quo Ministerium exerceatur. Atque hæ duæ vocationes externæ licèt ut plurimùm conjungantur, secundùm primævæ & Ecclesiæ Anglicanæ Canones, quibus cautum est neminem *sine certo* * *titulo*

* *Nemo absolutè ordinatur nec Presbyter, nec Diaconus, nec quilibet omnino eorum qui sunt in ordine Ecclesiastico; nisi specialiter in Ecclesia Civitatis aut vici, aut in Martyriis vel Monasteriis* (quæ teste Possidio de vita August. cap. 11. Severo Sulpitio de vita Martini. cap. 11. Hieronim. Epist. 4. sicut & utriusque apud nos Academiarum Collegia, olim erant seminaria ad ministerium Ecclesiæ amplificandum. Et ideo Erasm. lib. 2. descript. Britan. cap. 6. comparat nostrorum Academicorum vivendi rationem & modum, priscorum Monachorum præscriptis & institutis) is *qui ordinandus est pronuncietur.* Concil. Chalcedon. Canon. 5.

&

& designato muneris sui exercendi loco ordinandum: tamen quandoque, sicut olim in primæva, sic hodie in Anglicana Ecclesia, aliqui vocantur ad ministerium certo ministerii sui loco minimè destinati; ut *Socii Collegiorum & ante quinquennium Artium Magistri propriis sumptibus degentes in Academiis:* & ideo de his duabus vocationibus separatim agemus, à vocatione ad ministerium auspicantes.

Quamprimùm Christus passione sua & morte peccatorum pretium solverat, suis Apostolis eorumque successoribus (Joan. 20.) donavit potestatem remittendi peccata hoc ritu, his verbis; *Insufflavit iis, & dixit iis, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur iis; quorum retinueritis, retenta sunt.* Primum (ut docet August. lib. 4. de Trinitat. cap. 20.) *afflavit eos* ut ostenderet se, quâ Deus est, authorem fuisse Spiritûs Sancti, quem illis daturus erat, sicut quâ homo sensibilis flatûs quem ore suo exhalaverat. Deinde per *Spiritum Sanctum* Hier. Epist. 150. ad Hedibiam, intelligit *Spiritûs Sancti gratiam*; & per Spiritus Sancti gratiam Chrysost. (Hom. 85. in Johan.) *potestatem & spiritualem gratiam remittendi peccata*; quod verba [*quorum remiseritis peccata, &c.*] quæ Christus per exegesin immediatè subjunxit clarè demonstrant: ut lib. 1. de pœnitent. cap. 2. verè dixerit Ambrosius; *Qui* (in sacra nempe ordinatione). *accepit Spiritum Sanctum, accepit potestatem peccatum solvendi & ligandi:* non propriè ut Deus, qui solus *delet iniquitates*; sed quià accepit potestatem utendi mediis quibus Deus remittit peccata. Media autem illa

illa sunt Sacramentorum administratio, publica remissionis peccatorum denunciatio pro concione, in pœnitentium exomologesi, vel post generalem totius Congregationis confessionem; & privata denique remissionis peccatorum denunciatio in ægrotis visitandis & afflictis conscientiis consolandis. Nam non modò proprium & peculiare munus erat olim Apostolorum, aut hodie est Presbyterorum (quoad ministerialem remittendi peccata potestatem in foro conscientiæ) Apostolis succedentium, Sacramenta administrare, & pro concione, in exomologesi, vel post unanimem totius Congregationis confessionem, remissionem peccatorum denunciare publicè: sed etiam in ægrotorum visitatione, & afflictarum conscientiarum consolatione privatim. Nusquam in sacra Scriptura cuiquam credentium præterquam Apostolis, & illorum successoribus, Episcopis & Presbyteris, specialis facta est promissio de efficaci per eum remissionis peccatorum denunciatione ne privatim quidem. Immò hujusmodi denunciationis potestas, particulari Dei mandato in verbo suo scripto, fidelium nemini nisi Presbyteris conceditur. Solis * Apostolis (quibus in hoc sacro munere surrogantur à

* *Ligandi atque solvendi potestas, quamvis soli Petro data videatur à Domino; tamen & cæteris Apostolis datur, necnon etiam nunc in Episcopis et in Presbyteris, omni Ecclesiæ.* Rabanus in Catena Aquinatis ad 16 Matth. & Rabano accedit Hadrianus in quartum Senten. *De clave Ministerii dictum est Petro, Tibi dabo Claves & in Petro, omnibus Sacerdotibus, quibus in Ordinatione datur Spiritus Sanctus, ut quorum remiserint, &c.*

Deo,

Deo soli Episcopi & Presbyteri) Christus dixit; *Accipite Spiritum Sanctum: quorum peccata remiseritis* (sine ulla publici vel privati loci limitatione) *remittuntur iis*; *quorum retinueritis*, (sine ulla publici vel privati loci determinatione) *retenta sunt*. Quare etsi reliqui fideles, ut monet Apostolus (1 Thess. 5.) *se mutuò hortentur & ædificent* historicâ & (ut significantiùs loquamur) narrativâ promissionum Evangelij commemoratione, ex communi officio charitatis peractâ: tamen soli Presbyteri, sive publicè sive privatim, ministeriali potestate ex speciali à Deo vocatione iis donatâ, & peculiari promissione de ejus rectè administratæ efficacia, stabilita; peccatorum remissionem denuntiare possunt. Et quamvis (ut præcipit Apostolus Heb. 5.) *nemo sibi hunc honorem*, hanc potestatem *sibi assumat*, *nisi vocatus fuerit à Deo*; nihilominus illam Presbyteri recipiunt à Deo non immediatè, sed ministerio hominum, quos (ut ex perpetua Christianæ Ecclesiæ traditione liquet) constituerunt Apostoli ad eam communicandam, manuum impositione, & ipsis Christi aut paris significationis verbis; *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Sed sine præeunte Christi insufflatu, ut istos hujus potestatis conferrendæ sub Christo Ministros, non cum Christo authores esse patefacerent. Atque hi Presbyterialis potestatis in Ecclesia propagandæ Ministri, per mille quingentos annos fuere Episcopi. Nam in Ecclesiasticis tot annorum monumentis, tantum apud Epiphanium hæresi. 69. unum legimus Coluthum Ecclesiæ Alexandrinæ

lexandrinæ Presbyterum, ab Epiſcopo ſuo temerè deficientem, Presbyteros quoſdam, cùm non eſſet Epiſcopus, ſed tantum Presbyter, ordinaſſe; qui illicò (referente ſecundâ Athanaſii Apologiâ) *in generali Concilio apud Hoſium reliquoſque Epiſcopos appellatus, juſſus eſt ſe pro Presbytero ſicut antea gerere, & quotquot ab eo ordinati erant, ad priorem ſtatum retracti ſunt.* Immò quia quidam Epiſcopus oculorum dolore laborans, in ordinandis Presbyteris & Diaconis iis tantùm manus impoſuit, & adſtanti Presbytero imperavit, ut ordinationis verba legeret; Concilium Hiſpalenſe ſecundum Canone 5. decrevit, *Ut, qui ab eo non conſecrationis titulum ſed ignominiæ elogium perceperunt, à gradu Sacerdotalis vel Levitici ordinis quem perverſè adepti ſunt, depoſiti æquo judicio abjiciantur. Tales enim meritò* (inquit Canon) *judicati ſunt removendi, quia prævè inventi ſunt conſtituti.* Quare hodie in Eccleſia Anglicana venerandam antiquitatem quà poteſt per diſpares temporum conditiones imitante, ſoli Epiſcopi his verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Presbyteros creant; licèt unà cum iis Decani, Cathedralium Eccleſiarum Præbendarii & Archidiaconi, ad tam ſacroſanctam & publicam actionem communibus votis promovendam, manus quoque imponant. Locus verò & tempus quibus adeò ſacer ritus celebratur, ſunt ei admodum conſentanea. Eccleſiæ enim Anglicanæ conſtitutionibus locus Presbyteris aut Diaconis ordinandis dicatus, eſt *Eccleſia Cathedralis, vel*

vel Parochialis, ubi Episcopus commoratur: tempus, *Dies Dominici immediatè sequentis jejunia quatuor temporum vulgò Septimanæ Cinerum, ad preces & jejunia in solennibus Ministrorum ordinationibus antiquitus institutas, atque in Ecclesia Anglicana hodie continuatas.* Verum quia Divus Paulus (1. 5.) Timotheum & in eo omnes Episcopos seriò admonet; *ne manus cito* * *cuiquam imponant, neque communicent peccatis alienis.* Ulteriùs nostræ Ecclesiæ Canones præcipiunt; ut *Episcopus priusquam cuilibet ordinando manus imponat, diligenti eum examine excutiat ac exploret præsentibus iisdem Ministris, quos velit in impositione manuum sibi assistere.* Hujus autem examinis hic Canon, hæc amussis est: *Nullus Episcopus in sacros ordines quenquam de cætero cooptabit, nisi qui ex sua ipsius Diœcesi fuerit, vel ex altera nostratium Academiarum prodierit, vel literas* (quas vocant) *dimissorias attulerit ab Episcopo, de cujus jurisdictione exstitit; & nisi* 23. *si Diaconus fieri expetit, & si Presbyter* 24. *ætatis suæ annum jam compleverit; ac etiam in altera dictarum Academiarum gradum aliquem Scholasticum susceperit; vel saltem nisi rationem fidei suæ juxta Articulos Religionis in Synodo Episcoporum*

* *Quid sibi vult* (inquit Chrysost.) *cito? id est, non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia: sed ubi consideratio diuturna præcesserit, exactissimaque discussio, tum tandem imponatur manus. Neque enim ea res periculo caret: eorum enim quis ille* malè ordinatus *peccavit, tu quoque pœnam dabis, quia initium dedisti etiam præcedentium delictorum.* Quomodo præcedentium delictorum? Explicat Theophylactus: *præteritorum peccatorum es reus, quòd ex neglexeris, ac tenebras fecisti lucem, nec dimisisti eum, ut lugeret & commissa plangeret.*

& Cleri Anno 1562. *approbatos, Latino ſermone reddere poſſit, & eandem Scripturæ teſtimonijs corroborare; ac ulteriùs de vita ſua laudabili, & morum integritate literas teſtimoniales exhibuerit, ſub ſigillo alicujus Collegii Cantabrigienſis aut Oxonienſis ubi antèa moram fecerat, vel certè trium aut quatuor gravium Miniſtrorum, unà cum ſubſcriptione & teſtimonio aliorum probabilium & fide dignorum hominum, quibus ejuſdem vita & mores per proximum triennium fuerint explorati: Denique niſi prius tribus articulis, primo de ſupremâ Regis authoritate in perſonas & cauſas Eccleſiaſticas, ſecundo de approbanda formâ publicæ Liturgiæ, ordinandi Diaconos, Preſbyteros, Epiſcopos, quòd non ſint Dei verbo contraria; tertio de Articulis Religionis, quibus Archiepiſcopi, Epiſcopi utriuſque Provinciæ, ac totus Clerus Synodo Londinenſi Ann.* 1562. *conſenſerunt, quòd Dei verbo ſint conſentanei, lubens, & ex animo ſubſcripſerit. Quòd ſi quis Epiſcopus in ſacros ordines quempiam ſine prædictis qualitatibus, aut juſto* (ut ſuprà) *examine cooptârit; per Provinciæ ſuæ Archiepiſcopum ea de re certiorem factum,* (*aſſidente uno alio Epiſcopo*) *ab omni ordinis conferendi poteſtate in integrum biennium ſecludetur.* Atque ita habemus externam Presbyterorum vocationem ad ſuum miniſterium. Vocatio, quæ eſt ad certum miniſterii locum, ut ad *Rectoriam* vel *Vicariam*, ordine ſequitur.

A

A quibus, aut quo modo, Presbyteri in definitum, quo munus suum obeant, locum eligantur, nullum in sacris Scripturis præceptum extat, immò nec exemplum. Nam Presbyteri, quos (Actor. 14.) Paulus & Barnabas per Lystræ, Iconii, Antiochiæ Ecclesias perhibenter χειροτονῶν; non creati fuerunt populi suffragiis, sed impositione manuum tantum ordinati. Χειροτονία enim significat passim in Ecclesiasticis scriptoribus manuum impositionem, quâ sacri ordines conferuntur. Chrysostomus in hæc verba de Diaconis Act. 6. ἐ προσευξάμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας, *Et cum precati essent imposuerunt eis manus*; ita scribit, ἐχειροτονήθησαν διὰ προσευχῆς τοῦτο γὰρ ἡ χειροτονία. *Manus impositæ sunt cum precibus: hoc est enim χειροτονία.* Hinc Presbyterorum electiones ad designata loca, quibus officio suo fungerentur, in primæva Ecclesia admodum variæ extiterunt. Quandoque enim factæ sunt sine populi suffragiis, sicut Frumentius, teste Ruffino (Lib. 10. Hist. cap. 9.) ab Athanasio creatus est Episcopus Indorum, ipsis Indis nihil ea de re cogitantibus: & Concilio Laodiceno à sexta Synodo Oecumenica approbato, Canon. 13. decernitur; *Non permittendas esse turbis seu populo electiones eorum qui in Sacerdotio constituendi sunt.* Nonnunquam eligebantur per Populum vel Episcopum: Hieronymus enim ad Rusticum Monachum scribens, *Cum ad perfectam ætatem perveneris, & te vel Populus vel Pontifex Civitatis in Clerum elegerit*; non obscurè innuit sua ætate alios in

in Clerum ab Episcopo assumptos fuisse sine populo, alios à populo oblatos Episcopo ut in Clerum cooptarentur. Aliquando (ut ex Concilii Carthaginensis 3. Can. 22. constat) populo tantum præsente eligebantur, ut contra eligendi vitam & mores excipere; qui ferè mos hodiè in nostris ordinationibus observatur. Sæpe etiam & à Clero, & populi duntaxat primoribus, cum novella Constitut. 123. leges Imperatoriæ jubeant, *Clericos & Primates civitatis convenire, & propositis iis sacrosanctis Evangeliis, decreta facere de tribus personis, è quibus melior arbitrio ordinantis eligatur.* Tandem, cum hominum pietas paululùm defervescret, quò Ecclesias, quæ adhuc multis desuerunt villis & oppidulis, alacriùs ædificarent, illarum fundatores, Concil. Toletan. 9. Canon. 2. jus habuerunt, *Rectores idoneos in iisdem Basilicis offerendi Episcopo ordinandos.* Et ab hac Ecclesiarum constructione, præterea etiam fundatione, quando Ecclesiæ extruendæ prædium relinquebatur, & dotatione cum ministris Ecclesiæ alendis necessaria fuerint constituta, manavit (ut ipsi jurium nostrorum municipalium libri testantur) *jus* (quod vocant) *patronatûs* in Ecclesia Anglicana; in qua, hoc jure potiti, Presbyteros exhibent Episcopis in *Rectorias* & *Vicarias* instituendos: quod tamen Episcopi juxta Canones nequeunt præstare, nisi priùs Presbyter exhibitus seu præsentatus, *Literas suæ Ordinationis iis ostenderit, de morum honestate vitaque probabili congruum testimonium exhibuerit, debitè examinatus ministerio suo*

dignus inventus fuerit, solenni jurejuranda Simoniæ suspicionem averterit, & tribus demum articulis supra recitatis subscripserit. Et quo Episcopi majori accuratione & vigilantia, hæc omnia in externa Presbyterorum vocatione, tum ad ministerium, tum ad locum, quo exercetur ministerium, exequantur; *quolibet anno ad Festum Sancti Michaelis Archangeli, vel intra sex hebdomadas idem Festum subsequentes unusquisque Episcopus tenetur, numerum, nomina, gradus & qualitates eorum omnium quos ad sacros ordines vel ad aliqua beneficia eodem anno præcedenti promoverit, ad Archiepiscopum transmittere.* Jam Presbyterorum postquam ita Episcopi Institutione ad *Rectoria* vel *Vicaria* titulum, deinde Archidiaconi inductione ad alterutrius possessionem admissi fuerint; hæc eorum munera sunt & officia: Verbum syncere prædicare (si Episcopi authoritate ad concionandum fuerint approbati) per singulos dies Dominicos in Ecclesiis suis vel vicinarum aliquâ Ministro concionatore destitutâ; legere omni die Dominico (si ad concionandum non fuerint approbati) homilias publica authoritate præscriptas, cùm in ipsorum Ecclesiis deficiet concio, quæ ut singulis mensibus habeatur per concionatorem legitimè approbatum, tenentur procurare; administrare Sacramentum Baptismi, in quo pueros cœnæ Dominicæ incapaces pro susceptoribus admittere, & quem, si infans sit infirmus aut in mortis periculo, differre prohibentur; administrare Sacramentum Eucharistiæ, & ab ejus perceptione, extraneos, in genua non in-

inclinatos, manifestè infames aliquo scelere, & in eo impœnitenter viventes, cum proximis suis malitiosè contentiosos, œconomos & testes Synodales in criminibus Ordinario retegendis nefariè perjuros, schismaticos Anglicanæ Ecclesiæ doctrinam aut disciplinam apertè calumniantes, repellere donec resipuerint; Liturgiam, ad rubricarum in ea præscriptum diebus sacris, & in eadem Litaniam diebus Mercurii & Veneris, distinctè & cum debita reverentia recitare; diebus Dominicis, & festis ante preces Vespertinas ad semihoræ spatium vel ampliùs, juventutem & rudiorem plebem examinare, & instruere in Catechismo qui in libro Communium precum extat; diebus Dominicis tempore divinorum, festos, vigilias, dies carnis-privialés in sequentem septimanam incidentes populo denunciare; matrimonium celebrare, gratias agere à puerperio, ægrotantes sedulò visitare & consolari, defunctos sepelire; in his ferè omnibus peragendis congruo superpelliceo, & caputiis, si gradum aliquem in Academia susceperint, indui; baptizatorum, nubentium, sepultorum, registrum conservare; Pontificios nostris sacris interesse recusantes, & alios sententiâ excommunicationis ob insignem contumaciam vel graviora scelera obstrictos, singulis sex mensibus sequentibus, die aliquo Dominico, tempore divinorum pro excommunicatis denunciare: Denique omnes Pontificios, cujuscunque sexus, vel ætatis ultra tredecim annos, qui Sacramenti participes esse, vel nostris publicis precibus interesse renuerint (observato inter eos discrimine,) in

suis parochiis ut inquilinos vel hospites commorantes, eorumq; vera nomina vel quæ aliàs pro tempore usurpant exquirere, in scriptum referre, illudq; ante festum Nativitatis suis Ordinariis fideliter exhibere. Et ultra hæc omnia, Presbyteri docti & magis exercitati, frequentius habent conciones funebres, baptismales, nuptiales; conciones in Episcoporum visitationibus & consecrationibus, Diaconorum & Presbyterorum ordinationibus, inferiorum Magistratuum electionibus, coram Regis Judicibus & Justiciariis pro tribunali sessuris, ad celebrandum diem, quo Rex regnum suum auspicatus inauguratus seu coronatus est, ad commemorandam liberationem Regis aut Regni à publicis & gravissimis periculis, grassante peste & fame, in schismaticorum & hæreticorum libris publice comburendis, ad insignes schismaticos (cùm in eos Episcopi solennem sententiam (ut loquuntur) condemnatoriam sint latturi) regarguendos, & refutandos; aut quando aliæ ittiusmodi occasiones obvenerint: quas ideò percensemus, ut qui in Academiis sacro Ministerio se consecrant, quàm grave sit onus præsentiant, & ad illud obeundum accedant undiq; paratiores. Atque ad hunc Presbyterorum ordinem in Ecclesia Anglicana, Diaconorum ordo * gradus est & veluti præparatio. Nam utcunque in prima Diaconorum

* D. Paulus (1 Tim. 3. 13.) sic alloquitur Diaconos: *Qui benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirent*, hoc est, gradum Diaconatu superiorem. More enim Hebræo posuit positivum Apostolus pro comparativo, bonum gradum pro meliori. Cui interpretationi suffragatur in hunc locum Ambrosius, dicens; *Poterunt digni fieri Sacerdotio*: ita ut hæc promissio sit stimulus ad benè ministrandum in Diaconatu, ad gradum Presbyteratûs tanquam pietatis & virtutis præmium consequendum.

norum institutione (Actor. 6.) eorum officium quo maximè tenebantur occupati, erat ministrare mensis, & distribure eleemolynas Hierosolymis; dum ibi erat bonorum communio, & Diaconorum œconomiæ omnes suas facultates commiserat credentium multitudo (qua de causa tunc temporis eorum quoque electio multitudini permissa est:) illos tamen verbum prædicâsse & baptizâsse testatur Philippus, qui * Diaconus (Actor. 8.) (priusquam esset Evangelista, Act. 21.) *Prædicabat Christum, & credentes baptizabat.* Cujus vestigiis institerunt proximorum seculorum Diaconi, quos similiter, prædicâsse & baptizâsse, testes sunt Patres antiquissimi, † Origenes & ‖ Tertullianus. His enim quandoque Diaconi functi sunt ministeriis, muneris in quo illa ætate præcipuè versabantur, ornandi causâ, & quò majori fide & religione illud administrarent, cùm hujusmodi quasi symbolis admonerentur, non esse civilem & merè politicam villicationem quam gererent, sed sacram & Deo dicatam: & hinc etiam Apostoli (Actor. 6.) *adhibitis precibus, iis manus imposuerunt.* Veruntamen

* *Non quidem Apostolus, quemadmodum unanimi consensu veteres Ecclesiæ scriptores testantur, Epiphanius maximè de Simone et Simoniacis scribens. Licèt enim Diaconorum partes essent, communium Ecclesiæ opum, et pauperum curam gerere: simul tamen illis permissum erat Evangelij prædicationem suscipere, si quando necessitas ita postularet, quod in Stephani exemplo hucusque vidimus.* Gualt. in Act. Apost. cap. 8. hom. 56.

† *Omnes Presbyteri et Diaconi erudiunt nos et erudientes adhibent correptionem, et verbis austerioribus increpant.* Origines homil. 1. in Psal. 37.

‖ *Dandi Baptismum jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri et Diaconi, non tamen sine Episcopi authoritate propter Ecclesiæ honorem.* Tertul. de Baptismo.

(ut ex Nicæni Concilii 1. can. 19. liquet) *non habuerunt potestatem offerendi*, seu gratiarum actione elementa Eucharistica consecrandi; licèt (quemadmodum Apologiâ secundâ tradidit Justinus Martyr) *dederint unicuique eorum qui adfuerunt percipiendum panem & vinum & aquam*, quæ prius per Presbyteros *gratiarum actione consecrata sunt*. Brevi igitur, Diaconorum (qui sæpe in novo Testamento, quia (Actor. 6.) oportebat eos *spiritu sancto & sapientia plenos esse*, * Presbyterorum nomine intelliguntur,) officium erat obventionum Ecclesiæ & pauperum curam gerere, baptizare, concionari, (si iis hoc ab Apostolis & Episcopis permissum fuerit) & ferre opem Presbyteris in Eucharistia administranda: quæ ferè omnia Diaconi hodie in Ecclesia Anglicana exequuntur. Sed cum teste Concilio Gangrensi, can. 6. & 7. *ex oblationibus fructuum*, & Chalcedonensi Canon. 23. *ex agrorum fructibus*, Ecclesiæ reditus valde excreverant; ut Diaconi Presbyteris Sacramenta dispensantibus, ac aliis suis muneribus magis

* Ut Actor. 14. 23. *Cum ordinassent per singulas Ecclesias Presbyteros, id est*, (inquit Theod. Beza.) *Pastores, Diaconos, et alios Ecclesiæ gubernationi Præfectos: hîc enim ut alibi sæpe generaliter accipitur Presbyteri nomen*, Act. 15. 23. ubi Lucas Ecclesiam Hierosolymis, in qua (Act. 6.) Diaconi constituti sunt, in tres ordines, *Apostolos, Presbyteros, Fratres*, distribuens, Diaconos Presbyterorum ordine necesse est complectatur. 1 Tim. 5. 16. Ibi enim *Presbyteri*, id est Diaconi, *qui bene præsunt* in bonorum Ecclesiasticorum Oeconomia, *duplici honore*, hoc est, (inquit Chrysost.) *reverentia et subsidio rerum necessariarum digni* perhibentur: *maximè Presbyteri*, qui non ut Diaconi pauperum & bonorum Ecclesiasticorum curis districti, *in sermone et doctrina πονοῦντες* sunt, quandoque laborantes sed *κοπιῶντες* tempestivè & intempestivè desudantes. Nam (ut rectè annotat. Theodorus Beza in 11 Matth. 28.) plus est *κοπιᾶν*, quam *πονεῖν*, si propriam utriusque significationem spectemus: sicut etiam apud Latinos plusculum declarat fatigatum esse, quam laborare.

gis spiritualibus liberius inservirent: onus curandi obventiones Ecclesiasticas in Oeconomos rejectum est. Unde Concilium Chalcedonense Canone citato decrevit; ut *omnis Ecclesia Episcopum habens, haberet etiam Oeconomum de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundùm sententiam proprij Episcopi.* Ad cujus Canonis ferè præscriptum, nostræ quoque Ecclesiæ Oeconomi, (qui unanimi, si fieri possit, Parochianorum & Ministri consensu quotannis in Paschali hebdomada eligendi sunt) reditus Ecclesiæ cognunt, lege experiuntur ad illos vi detentos redimendos, horum tum acceptorum tum expensorum in Ecclesiæ usum, veram & accuratam rationem Ministro & Parochianis reddunt, maceriam Cæmeterij, navem Templi, ejusque ornamenta & reliquam suppellectilem, ut libros, Eucharisticam mensam, calicem, patinam, eleemosynarum cistam, publicis parochiæ sumptibus sarta tecta & decora tuentur; parant etiam panem & vinum in S. cœnam, tempore divinorum collectionem peragunt pro pauperibus extraneis, & contributiones operibus publicis insumendas denunciant. Præterea, more Ecclesiasticorum *Visitatorum*, (quorum meminit Gregorius Magnus lib. 3. Epist. 2.) inquirunt nequiter viventes, eosq; admonent, magis scandalosos Episcopo qualibet triennali visitatione, & bis annuatim necessariò deferunt: in quibus occupationibus, Testes quoque Synodales iis diligenter opitulantur. Denique navant operam unà cum Ministro, custodiendo Baptismorum, Nuptiarum & Sepulturarum indici, prospici-

endo præterea nequis absque facultate legitima sese ingerat ad concionandum, & ut omnes Parochiani (quo etiam munere Testes Synodales Oeconomis sunt adminiculo) Ecclesias suas diebus Dominicis & Festivis debitè frequentent, atque iisdem per integrum rei sacræ tempus, cum silentio & decoro intersint.

Hujusmodi sunt munera Oeconomorum & Testium Synodalium, quibus ultimo in loco succedunt *Aeditui*, antiquis ostiariis, Concilii Laodiceni Canon. 23. inter ordines Ecclesiasticos enumeratis admodum similes; qui secundùm nostræ Ecclesiæ Constitutiones debent esse ad minus viginti annos nati, vitæ probitate, & idoneâ legendi, scribendi & cantandi scientiâ præditi, quò Ecclesiæ Ministris (penes quos jus est eos eligendi) & Oeconomis munia sua obeuntibus commodiùs quandoque famulentur. Atque ita omnes Ecclesiæ Anglicanæ gubernatores, Rectores, Ministros, eorumque ordinationes, potestatem, officia, strictim percurrimus: Leges vero & Constitutiones ad quarum amussim cuncta hæc diriguntur, ut plurimùm conduntur in Synodis provincialibus vel nationalibus, quas proximo capite habemus delineatas.

CAP.

CAP. XI.

De Anglicanæ Ecclesiæ Synodis nationalibus & provincialibus.

TAmetsi Gregorius Episcopus Nazianzenus, Epist. 42. ad Procopium, suâ ætate, propter hominum pravitatem (turbulentissimis enim Ecclesiæ temporibus vixit, quibus in Oriente Valentis Imperatoris à Catholica fide alieni auxilio, Hæretici plurimùm valuerunt (*se nullius unquam Synodi bonum & felicem exitum vidisse*, profiteretur: tamen ad difficiles in fide quæstiones discutiendas, tollendos abusus, eutaxiam & legitimum in disciplina ordinem constituendum, pacem & publicam concordiam fovendam, *Conciliorum in Ecclesia Dei saluberrimam esse authoritatem*, epist. 118. verissimè dixit Augustinus. Sic Concilij Constantinopolitani primi authoritate, controversia de S. Spiritus divinitate à Macedonio mota, dirempta est: Ancyrani Concilij canonibus, *apostata*, *lascivi*, *adulteri*, *divinatores*, *magi* severissimè castigati sunt: Synodus Gangrensis Nicæno primo quasi contemporanea, compescuit contemptum publicorum *conventuum in domo Dei*, *privatas conciones extra Ecclesiam* sustulit:

ſuſtulit: Oecumenica Synodus Chalcedonenſis præſentiâ 630. Patrum ornata, tumultus in Eccleſia ab Eutychianis manantes fælicſſimè ſedavit. Et hi Conciliorum legitimè coactorum & ritè ordinatorum fuere fines, ad quos ut plurimùm collimârunt. Concilia autem legitimè dicimus coacta, quæ, poſtquam Politici Magiſtratus evaſere Chriſtiani & *Eccleſiæ Nutritij*, illorum authoritate ſunt congregata; ritè ordinata, quæ veris & genuinis ſuis ad deliberandum & definiendum membris conſtabant. Etenim cum pij Principes ſub veteri Teſtamento in *Chriſtum incarnandum* credentes, (ut David 1 Chron. 15. Ezechias 1 Chron. 29. Nehemias. Nehem. 7.) Conventus Sacerdotum ad peragenda Jehovæ negotia coegerint; & ipſe Chriſtus novam convocandi Eccleſiaſticos congreſſus viam minimè inſtituerit, ſed tantum ijs S. Spiritûs ſui præſentiam (Matth. 18.) promiſerit: Reges & Principes ſub novo Teſtamento in *Chriſtum jam incarnatum* fidentes, eandem poteſtatem maximo Eccleſiæ bono exercuerunt. primi generalis Concilij Nicæni Patres (ut ex Synodicâ eorum epiſtolâ apud Socratem lib. 1. cap. 9. ad Eccleſiam Alexandrinam, liquet) Imperatoris Conſtantini juſſu convenerunt. Nec poſteà Chriſtiani Imperatores huic poteſtati renunciarunt: nonne quarta Oecumenica Synodus Chalcedone celebrata, ſicut in ipſis limine indicatur, coacta eſt *ex decreto pijſſimorum & fideliſſimorum Imperatorum, Valentiniani & Martiani?* A generalibus Con-

Concilijs ad Nationalia, & provincialia descendamus. Sardicense, teste Theodoreto lib. 2. c. 8. a Constante; Aquilienſe cui interfuit Ambrosius, narrante ipso Concilio, à Theodosio; Thessalonicense, ut constat ex Synodica 453. à Gratiano indicta sunt. Et licèt antiquitùs Metropolitani, postquam Imperatores Christo se dederunt, Provinciales Synodos sæpius vocârint, hoc non tam suâ secerunt quàm* Imperatoria potestate, qua Concilium Nicenum primum, & Chalcedonense stabilita sunt. Hujus enim canon. 18. & illius † 5. (qui unà cum reliquis utriusque Concilij canonibus, aut a || Constantino, aut à Valentiniano, & * Martiano Imperatoribus confirmati sunt) statuerunt, *Uniuscujusque Provinciæ Episcopos debere convenire*; *ubi Metropolitanus Episcopus probaverit*. Qui penè mos obtinuit in Ecclesia Anglicana, cujus hodie Archiepis-

* Nam si quis excipiat quasdam Provinciales Synodos, ut Ancyranam & Neocæsarienſem post libertatem religionis Constantini edictis Ecclesiæ concessam, absque Constantini jussione fuisse coactas; concedimus absque particulari & expressâ, sed non tacita & generali jussione: quia cum Constantinus vel alij Christiani Imperatores religionis libertatem Ecclesiæ concesserunt; simul jus celebrandi quotidianas synaxes, & cogendi Synodos, a quibus in quotidianis synaxibus eutaxia conservaretur, tribuerunt.

† Hic Canon quintus Concilij Nicæni statuit, ut bis in anno Synodi fiant Provinciales: Sed quorum consensu Concilium Antiochenum Nicæno quindecim annis posterius, explicat canon. 20. *Nullis vero liceat per se Synodos celebrare sine ijs, quibus Metropoles creditæ sunt.*

|| Imperator Constantinus. (ut refert Eusebius lib. 3. de vita Constantini, cap. 22.) *Decreta* Nicæni Concilij *sigillo suo confirmavit.*

* Hujus Chalcedonensis Concilij Patres (teste Evagrio lib. 2. cap. 4.) sua decreta condiderunt cum hac conditione, *si ista sanctissimo nostro Domino* (hoc est Imperatori) *placuerint.*

copi

copi ad nutum Regium, Nationales aut Provinciales Synodos solent indicere. Quænam igitur sint Concilia legitimè congregata intelligimus; vera & genuina eorum membra sunt Ecclesiæ Pastores, Episcopi & Presbyteri. Cum nascente Ecclesia, gravis de ceremonialis legis observatione exorta esset controversia, *Apostoli* (quibus vult Hieronymus in epist. ad Marcellum Episcopos peculiari jure succedere) & *Presbyteri* Actor. 15. *Hierosolymis congregati sunt, ut dispicerent dè hac re: tota enim Ecclesia & Fratres,* qui (v. 22. & 23.) ab Apostolis & Presbyteris secernuntur, huic primo Christianæ Ecclesiæ Concilio sponte adfuerunt, non tam ut *dispicerent de hac re*, quàm ut animi sui dubia Apostolis & Presbyteris *dispicienda* proponerent; horumque publico * judicio, propter sacrosanctam eorum vocationem & quia Ecclesiæ erant Pastores, alijs præscribente, in privatis suis judicijs, (quibus singuli quà Ecclesiæ oves, tantum sibi præscribere potuerunt) dirigerentur. Hinc, etsi. (v. 22. & 23.) *tota Ecclesia ac fratres* unà cum

* Ohristus omnes pastores in suos greges constituit *Patres* (1 Cor. 4.) *Speculatores* (Ezech. 3.) *Doctores* (Ephes. 4.) *Episcopos*, seu Superintendentes (Act. 20.) *Doctores & Præfectos* (Heb. 13.) ad illos instruendos, regendos, dirigendos in via salutis. Quam potestatem Christus seorsim iis dedit in Diœcesanas & parochiales suas Ecclesias, eandem in Synodis congregati in totam Ecclesiam retineant est necesse; præsertim cùm Salvator noster (Matth. 18.) *duobus vel tribus* prælatis (ut hunc locum Chrysost. Euthym. Theophylact. interpretantur) *nomine suo coactis*, promiserit per specialem Spiritus S. assistentiam se fore *in medio eorum.* Nam ut infert Cælestinus Epist. ad Concilium Ephesinum, *Si tam exiguus numerus Spiritu sancto non destituitur, quomodo non credemus eum multo magis in medio vestrùm esse, ubi tanta multitudo sanctorum in unum conveniunt.*

cum Apoſtolis & Presbyteris in Concilio Hieroſolymitano congregatis, miſerunt *delectos viros Antiochium* & in Epiſtola horum manibus tradendâ ſuum conſenſum, ad pleniorem concordiam teſtandam appoſuerint, hujus tamen Concilij dogmata non *totius Eccleſiæ & fratrum*, ſed Apoſtolorum & Presbyterorum ſententijs definita ſunt: cum (Actor. 16. 4.) non *fratrum* aut *Eccleſiæ*, ſed *Apoſtolorum & Presbyterorum qui Hieroſolymis erant*, *Decreta* appellentur. Et huic primo Chriſtianæ Eccleſiæ Concilio, quæ ſequuta ſunt, in definiendis religionis controverſiis & ſacris Canonibus decernendis, tanquam ſuo prototypo ſimillima extiterunt. Nam quamvis ad illa quidam ex * plebe acceſſerint, ut (teſte Rufino lib. 1. Eccleſ. hiſt. c. 3.) in Nicæno Concilio ad diſſerendum plurimi, quidam etiam pij ad teſtandum ſuum zelum & fidem confirmandam; è quorum numero fuit *Confeſſor* ille *homo ſimplex* (apud Sozomen. lib. 1. cap. 17.) qui in eodem Concilio divinis eloquijs, *Philoſophum obſtupefecit*: ultronei tamen hi omnes advenerunt, neque in Concilijs, deciſivum ſuffragium habuerunt. Nam apud Sozomen. lib. 1. cap. 16. Conſtantinus ſcribit ad *Eccleſiarum Præſides*, & non ad quempiam ex plebe, ut ad diem præſtitutum, Nicææ adſint. Et in gene-

* Dictionem [*Plebs*] eâ notione accipimus, qua Concilium Carthaginenſe de hæreticis baptizandis, in ipſo ſui limine his verbis: *Cum in unum Carthagini convenissent Kalend. Septemb, Epiſcopi plurimi ex Provincia Africa, Numidia, Mauritania, cum Presbyteris et Diaconis, præſente etiam plebis maxima parte.*

generalibus Concil. sæpiùs * soli Episcopi (non quod non liceret Presbyteris, ut somniant Romanenses, in his habere suffragia decisiva; sed quòd ad vitandam ingentis multitudinis ataxiam non expediret; & in Provincialibus tantum Episcopi, Presbyteri, & quandoque Diaconi (sicut in Romano Concilio contra Novatum apud Eusebium lib. 6. cap. 43. Antiocheno apud eundem lib. 1. cap. 30. Elibertino, & Arelatensi secundo, testantibus horum subscriptionibus) Ecclesiastica decreta condiderunt. Et hinc in Ecclesia Anglicana primævæ Ecclesiæ vestigia premente, vocantur ad Synodos Nationales & Provinciales solùm Episcopi, Decani, Archidiaconi, & duo demum Presbyteri ex singulis Diœcesibus, totidemque ex * Cathedralibus Ecclesiis, in his Capitulorum, in illis communibus Parochorum suffragijs electi; à quibus cum de religionis dogmatibus vel sacris Canonibus fuerit maturè deliberatum & definitum, Regiâ authoritate censentur rata; immò nonnunquam, quò hæc placita Synodica arctiùs constringant immorigeros, post Regiam

* Hoc patet ex subscriptionibus generalium Conciliorum magis antiquorum, in quorum calce aut tantum Episcoporum, aut Presbyterorum qui Episcoporum erant Vicarij (quales fuere *Vitus* seu *Victor* & *Vincentius*, qui in Nicæno primo pro Romano Episcopo subscripserunt) nomina adscripta reperiemus.

* Concilij Tarraconensis infra quingentos post Christum annos Tarracone in Hispania celebrati 3. Canon est; *Epistolæ per fratres a Metropolitano dirigendæ sunt, ut non solum è Cathedralis Ecclesiæ Presbyteris, verùm etiam de Diœcesanis ad Concilium trahant.*

giam illorum confirmationem, à suprema Parliamenti Curia tanquam Regni leges promulgantur: quemadmodum Justinianus quatuor prima Concilia Oecumenica figillatim à diversis Imperatoribus priùs confirmata, ad horum decreta magis corroboranda sancivit Novella 131. ut *vicem legum* (nempe Imperialium) *obtinerent sacri Ecclesiastici Canones, qui à Sanctis quatuor Concilijs constituti sunt & confirmati.*

DE-

BIBLIOTHECA BODLEIANA

DESCRIPTIO
JURIS & JUDICII
ECCLESIASTICI
SECUNDUM CANONES
ET
Constitutiones Anglicanas.

INDEX CAPITUM.

PARS PRIMA.

Sectio
1. DE *Jure Ecclesiastico.*
2. *De Personis Ecclesiasticis, & de Gubernatore summo.*
3. *De Gubernatoribus inferioribus.*
4. *De Plebe Ecclesiastica.*
5. *De Rebus Ecclesiasticis, & de Dominico sacro.*
6. *De beneficiis Ecclesiasticis.*
7. *De Juribus Parochialibus.*
8. *De Officiis Ecclesiasticis, & de Officio Gubernatoris summi.*
9. *De Officiis Gubernatorum inferiorum.*
10. *De Officiis Parochianorum.*

PARS SECUNDA.

Sect.

1. *De Negotiis Ecclesiasticis in specie, & de Constitutione Beneficii.*
2. *De Acquisitione Ecclesiastica, & de Acquisitione Beneficii.*
3. *De Acquisitione fructuum Beneficii.*
4. *De successione in bonis Defunctorum.*
5. *De Contractu Ecclesiastico, & de Contractu circa Beneficium.*
6. *De Contractu circa fructus Beneficii.*
7. *De Contractu Conjugali.*
8. *De Delictis Ecclesiasticis & de Delictis contra Pietatem.*
9. *De Delictis contra Charitatem.*
10. *De Delictis contra Officium Ecclesiasticum.*

PARS

PARS TERTIA.

Sect.
1. *De Judicio Ecclesiastico.*
2. *De Curiis Ecclesiasticis, & de Curiis Supremis.*
3. *De Curiis Intermediis.*
4. *De Curiis inferioribus.*
5. *De Cognitione Ecclesiasticâ, & de Cognitione per Probationes.*
6. *De Cognitione per Præsumptiones.*
7. *De Cognitione per Juramentum.*
8. *De Coërcitione Ecclesiastica & de Excommunicatione.*
9. *De Pœnitentia publica.*
10. *De Suspensione.*

PARS QUARTA.

Sect.
1. *De Judiciis circa Negotia Ecclesiastica in specie, & de Judicio circa statum Beneficii.*
2. *De Judicio Acquisitionis Ecclesiasticæ,*

siasticæ, & de Judicio Acquisitionis Beneficii.

3. *De Judicio Acquisitionis fructuum Beneffcii.*

4. *De Judicio circa Successionem in bonis defunctorum.*

5. *De Judicio Contractus Ecclesiastici, & de Judicio Contractus circa Beneficium.*

6. *De Judicio Contractus circa fructus Beneficii.*

7. *De Judicio circa Contractum conjugalem.*

8. *De Judicio Delicti, & de Judicio Delicti contra Pietatem.*

9. *De Judicio Delicti contra Charitatem.*

10. *De Judicio Delicti contra Officium Ecclesiasticum.*

DESCRIPTIO
JURIS & JUDICII
ECCLESIASTICI
SECUNDUM CANONES
ET
Constitutiones Anglicanas.

PARS PRIMA.

SECT. I.

De Jure Ecclesiastico.

Jus Ecclesiasticum est quod in Communione sacrâ secundum Leges & Consuetudines Ecclesiasticas observatur. Communio sacra est quæ Salutem æternam respicit, ad quam Pietas & Charitas conducunt. Leges Ecclesiasticæ sunt Canones generales qui in pluribus Ecclesiis recepti, & Constitutiones quæ in singulis sancti-

ea sunt. Consuetudines sunt mores diuturno usu comprobati, quæ circa Personas, Res, & Officia in genere, deinde circa Negotia Ecclesiastica in specie versantur.

CUM ultra temporalia, quæ sunt hujus seculi, divinâ benignitate fælicitas æterna hominibus sit proposita, in communione sacrâ sive Ecclesiasticâ homines ad eam *a* Pietate & Charitate perducuntur. E quibus Pietas in verâ agnitione, & recto cultu Dei consistit; quarum priorem Ecclesia Anglicana profitetur secundum Sacras Scripturas, Symbola Fidei Christianæ, & *b* Articulos Religionis publicâ Autoritate promulgatos. Posteriorem etiam secundum Ordinem & Ritus, qui in *c* Liturgâ communi, & constitutionibus Ecclesiasticis præscribuntur. Deinde Charitas habetur aliis æquè ac sibi benefaciendi studium, secundum exemplar Iesu Christi Salvatoris, & præcepta Evangelica. Et ad hæc tuenda etiam comparatæ sunt Leges; Et Consuetudines Ecclesiasticæ. Prò Legibus habentur, Primum Canones generales, nimirum Conciliorum Universalium, *e* Sanctorum Patrum, necnon *f* Pontificum Romanorum decreta, quæ in Ecclesiâ Anglicanâ vim obtinent, *g* quatenus permissione Regum intra Regnum recepta sunt, & populus diuturno usu ad observationem eorundem se astrinxit; Deindè Constitutiones propriæ, utpotè quæ in Synodis provincialibus antiquitùs ordinatæ sunt à Legatis *h* Othone & *i* Othobono, ad

a Matth. 22. 24. & seq. Lynw. ad c. 1. de officio Archipresbyt. §. His autem v. dilectionem Dei & v. proximi.
b Artic. edit. 1562. art. 6, 7, 8 confirmat. 13 Eliz. c. 12. c. 5. & 6 Ed. 6. c. 1. & 1 Eliz. c. 2.
d Distinct. 15. c. Canones.
e Extrav. de Constitut. c. Ne imitaris.
f Distinct. 19 & 20.
g 25 Hen. 8. c. 21. in præfatione.
h Ann. 1236. Athon. ad Constit. 1. v. statuenda.
i Anno 1268. Lynw. ad c. 1. de Constit. v. Othoboni.

quas

quas Joannes de Athon annotationes ſcripſit; vel ab Archiepiſcopis Cantuarienſibus quas Gulielmus Lynwood collegit, & gloſſâ præcipuæ authoritatis illuſtravit, quæ pro jure habentur *k* quatenus Conſuetudinibus & Statutis regni non repugnant, nec Prærogativæ Regiæ adverſantur; Et quæ nuperius *l* in Convocationibus ſancitæ, autoritate Regiâ confirmatæ ſunt; Item, quæ de rebus vel negotiis Eccleſiaſticis in generalibus totius Regni Comitiis ſtatuta ſunt; Denique *m* Conſuetudines ſunt inſtituta majorum, quæ ſine ſcriptis Longo uſu ad poſteros tranſierunt.

k 25 H. 8. c. 19. in fine.

l 1 Jac. 1603.

m Extrav. de conſuetud. per totum. Conſtitut. Provinc. de Conſuetudine.

SECT. II.

De perſonis Eccleſiaſticis, & de Gubernatore ſummo.

Perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt qui in Communione ſacrâ vel Eccleſiaſticâ agunt. Clerici qui ad ſacra officia deſtinati ſunt, & Laici qui ſecularia tractant. E quibus alius eſt Gubernator ſummus, alii Gubernatores inferiores, alii Plebem Eccleſiaſticam conſtituunt.

Gubernator Summus eſt Rex qui per univerſum regnum in rebus & negotiis Eccleſiaſticis ſupremam poteſtatem obtinet.

IN Communione Eccleſiaſticâ qui degunt, etſi diſparis conditionis ſunt, quatenus tamen Legibus Eccleſiaſticis ſubjiciuntur omnes Ec-

a Cauſ. 12. q. 1. c. duo ſunt. Extr. de Præbendis c. cum ſecundum. *b* Extr. de immunitate Eccleſiæ. *c* Cauſ. 12. q. 1. c. duo ſunt. *d* Cauſ. 24. q. 3. c. Principis. *e* Diſtinct. 10. c. 7 & 8. Duaren. de Beneficiis l. 1. c. 5.

Eccleſiaſticæ perſonæ habentur. Primùm *a* Clerici qui divinis officiis mancipati ſunt, quos Deus quaſi ſorte quâdam ad miniſterium ſacrum elegit vel deſignavit, qui ut Deo dicati *b* ab omnibus muneribus civilibus immunes ſunt. Deinde *c* Laici ſunt qui in Communionem ſacram admiſſi, ſacros ordines non ſuſceperunt.

Ad Gubernatorem ſummum quod attinet inter Perſonas Eccleſiaſticas intra Regni ſui terminos Rex eſt, *d* qui in Eccleſiâ poteſtatis culmen obtinet, unde *e* Conſtitutiones ſancire poteſt quæ Evangelicis & Canonicis Decretis contrariæ non ſunt, & quibus Epiſcopi & Clerici ad Canonum Eccleſiaſticorum veteriſque diſciplinæ obſervationem compellantur. Quod ſtatutis Angliæ declaratum, nimirum *f* regnum uni ſupremo Regi ſubeſſe, cui univerſum corpus politicum in duo membra Spiritualitatis & Temporalitatis diſtinctum, ſub Deo naturalem & humilem obedientiam præſtare debet. Et quod *g* nullus Prælatus extraneus ullam Juriſdictionem, Autoritatem, vel Præeminentiam ſpiritualem ſive Eccleſiaſticam infra regnum Angliæ exerceat, ſed quòd omnis Juriſdictio hujuſmodi coronæ Regiæ uniatur. Item quòd *h* Synodus Nationalis vel Provincialis convocari non debeat, abſque Regis Reſcripto, nec in iis quicquam tractari aut determinari niſi eo aſſentiente, nec quicquam vim Legis obtineat priuſquam regalis aſſenſus adhibitus fuerit. Sed *i* quòd ipſe poſſit novas leges condere circa Ceremonias & Ritus, cum conſilio Metropolitani, vel Commiſſariorum in Cauſis Eccleſiaſticis.

f 24 H. 8. c. 12. in principio. *g* 1 Eliz. c. 1. *h* 25 H. 8. c. 19. *i* 1 Eliz. c. 2. prope finem.

SECT.

SECT. III.

De Gubernatoribus Inferioribus.

Gubernatores inferiores sunt qui sub Gubernatore summo in Ecclesiasticis aliis præficiuntur; iique, vel cum Dignitate & Jurisdictione, ut Archiepiscopi qui Provinciis, Episcopi qui Dioecesibus, Decani & Canonici qui Ecclesiis Cathedralibus, & Archidiaconi qui certis Dioeceseos regionibus præsunt; vel sine Dignitate & Jurisdictione, ut Rectores & Vicarii qui Ecclesiis Parochialibus præponuntur.

SUb Gubernatore Summo alii præsunt cum Dignitate eminentiori veluti *a* Archiepiscopi qui aliorum Episcoporum Præsules, Primates, & *b* Metropolitani dicuntur, & *c* Episcopi quibus Civitates cum Dioecesi subjiciuntur qui Archiepiscoporum *d* Suffraganei appellantur. *e* Penes hos est potestas Pueros confirmandi, sacros ordines Diaconatûs & Presbyteratûs conferendi; *f* Diaconatus, ex quo concessum est officia divina legere Prædicare & Presbyteris vel Sacerdotibus celebrantibus assistere; *g* Presbyteratus, ex quo potestas consertur non solùm divina peragere & prædicare sed etiam Sacramenta administrare,

a Distinct. 21. c. 1. & Distinct. 99. c. 1 & 2. Cauf. 6. q. 3. c. scisote.

b Lynw. ad Constitut. de pœnis v. Metropolitani

c Distinct. 21. c. 1. Lynw. ad Constitut. 1. de Constit. v. Coepiscopi.

d De Officio Ordinarii in 6. c. 1.

e Distinct. 25. tit. in 6. c. cum

c. 1. Extr. de Officio Judicis ordinarii Episcopus. *f* Distinct. 25. c. 1. *g* C. eod. v. ad c. Conquerente eod. Presbyterum.

nistrare, *b* Ecclesias consecrandi, *i* Synodus Provinciales & Dioecesanas convocandi, Cletum & Populum sibi subditum *k* visitandi, & ea quæ ad Jurisdictionem Ecclesiasticam spectant exercendi. In Ecclesiâ Anglicanâ *l* Primatum obtinet Archiepiscopus Cantuariensis, cui *m* Statuto regni Canonum & Legum Ecclesiasticarum per omnia Anglici imperii Dominia ex causis gratiam facere, sive in omnibus verbo Dei non repugnantibus dispensare, & quæ in Curiâ Romanâ obtinere solebant, indulgere concessum est. Reliqui Episcopi in suis Dioecesibus *n* Licentias Concionatoribus, *o* Curatis, *p* Ludimagistris, *q* Medicis, Chirurgis & Obstreticibus concedunt. Etiam ex caulis Legitimis veniam *r* vescendi carnibus in diebus jejuniorum, *s* celebrandi matrimonium temporibus prohibitis vel absq; bannis indulgent. Atque hæc quæ ad Jurisdictionem spectant Archiepiscopi & Episcopi per se vel Deputatos agunt, qui *t* Vicarii Generales dicuntur cum ad universitatem causarum Jurisdictionis volũtariæ, Officiales Principales, cum ad Universitatem causarum Jurisdictionis contentiosæ, cum ad utramque Cancellarii, & cum ad certas causas, vel ad certam partem Dioecesêos Deputantur, Commissarii appellantur. Deinde inter Personas Ecclesiasticas Autoritatem cum Dignitate obtinent Decani & Canonici qui Capitulum constituunt qui Cathedralibus sive majoribus Ecclesiis præficiuntur; E quibus *u* Decani sunt qui Canoni-

b De consecrat. dist. 1.
i Lynw. ad c. 2. v. Synodis de officio ordinarii, & ad c. statutum v. Synodali de consuetudine.
k Extr. de Censibus c. cum Apostolus &c. Procuratores §. Porro & eodem tit. c. 1. in 6. Caus. 10. q. 1. c. Placuit.
l Duaren de Benefic. l. 1. c. 9. Cucchi Instit. l. 1. tit. 3. Antiq. Britann. fol. 36.
m 25 H. 8. c. 21.
n Jo. de Ath. ad Constit. de consecrat. Ecclesiæ v. absq; licentia.
o Lynw. ad c. 1. v. Dioecesano de Hæreticis constit. nov. 49.
p Constit. nov. 48.
q Extr. de Magistris c. 2. & seq. Constit. nov. 77.
r Constit. provinc. de Pœnitentiis c. cum Anima.
s 5 Eliz. c. 5.
t Lynw. ad c. 1. v. speciali licentia de clandestina desponsatione. Vicarii Lynw. ad c. 1. de Constit. v. officiales 32 H. 8. c. 15.
u Extr. de offic.

corum

corum Collegio præſunt, & Archipresbyteris urbanis ſucceſſiſſe videntur. *x* Canonici ſunt qui in Cathedrali vel Collegiatâ Eccleſiâ jus Canoniæ vel Præbendæ obtinent. E quibus alii per ſe Diguitatem habent, ut *y* Theſaurarius qui pecuniarum & bonorum Eccleſiæ cuſtodiam habet. Et *z* Præcentor qui modum cantandi in choro pro ſolennitate & tempore ordinat; aliique prout eſt Eccleſiæ conſuetudo. Univerſi *b* Capitulum conſtituunt, cum cujus conſilio Epiſcopus majora negotia expedire debet. Præter hos ſunt *c* Archidiaconi qui in certis Dioceſeos regionibus Juriſdictionem cum Dignitate obtinent, eamque vel prout compoſitione expreſſam habent, vel diuturno uſu præſcripſerunt, per ſe vel officiales ſuos exercent. Sub Archidiaconis etiam conſtituuntur *d* Decani rurales qui olim Archipresbyteri rurales dicebantur, & eam autoritatem habent quam Epiſcopus eis dare voluerit. Denique in ſingulis Parochiis ſine Dignitate & Juriſdictione *e* Rectores conſtituuntur, quibus Eccleſiæ curandæ regendæq; committuntur. Et in foro pœnitentiæ Ligandi abſolvendique poteſtatem habent. Cum verò frequenter eveniat Clericos neceſſariis cauſis impeditos non poſſe ſuis officiis ſupereſſe, alicubi *f* Vicarii conſtituti ſunt, qui in Divinis Rectorum vices ſubeunt.

x Lynw. ad c. 1. de Judiciis v. Decani & ad c. 1. de rebus Eccleſiæ non alienand. Barbos. de Canon. & dignitat. c. 6.

y Extr. de Præbendis c. Dilectus. Linw. ad c. 1. de Pœnitentiis v. Canonici Barbos l. eodem c. 1.

z Barbos l. eod. c. 8.

a Idem lib. eod. c. 9.

b Extra. de reſcriptis c. capitulum & ibi Panorm. Lynw. ad c. 1. de Conſtitut. c. Capitulis.

c Extra. de offic. Archidiaconis Conſtit. Othonis & Provinc. eodem tit.

d Extr. de offic. Archipresb. c. ultimo.

e Extra. de vitâ & honeſtate clerici. c. 3. Barbos de offic. & poteſtate Parochi, c. 1. Lynw. ad c. Nullus de Conſuetudine v. ipſorum Rectorum. *f* Extr. de offic. vicarii c. 3.

SECT.

SECT. IV.

De Plebe Ecclesiastica.

Plebs Ecclesiastica sunt qui Gubernatoribus subjiciuntur, Parochiani scilicet qui per singulas Parochias distributi; è quibus alij peculiari ratione ad Ecclesiam referuntur, ut Patroni, Oeconomi, & servientes; alii generaliter ad Ecclesiam Parochialem pertinent, quod intra ejus limites degunt.

PErsonæ singulæ etiam privatæ sicut Reipublicæ ita etiam Ecclesiæ membra sunt, & prout in diversas *a* Parochias distribuuntur Parochiani appellantur. Parochiani verò sunt populus scilicet qui ad Ecclesiam aliquam Parochialem pertinent, Ex quibus alii peculiari relatione, alii communi duntaxat ad Ecclesiam spectant.

a Const.13.q.1. Extra.de Paroch. c.4. & c. fin. Constit.Provinc.eod.tit.

Peculiari relatione primùm *b* Patroni qui Ecclesiam construxerunt, vel terram eidem in dotem concesserunt, vel saltem in jus eorundem qui construxerunt vel dotaverunt successerunt. Secundò *c* Oeconomi qui ad Ecclesiæ bona tuenda & negotia procuranda quotannis à Rectore vel Vicario & Parochianis seu majori parte eorundem deliguntur. Tertiò Servientes Ecclesiæ veluti *d* Ædituus *e* Aquæbajuli & Ostiarii, quibus claves Ecclesiarum, Librorum & Vestimentorum custodia, campanarum pulsatio & alia hujusmodi

b Extrav.de Jure Patron. c. nobis fuit.

c Lynw.ad c. Præterea de Clericis non residen, v. Oeconomos duar. de benef.l.1.c.19.

d Duaren.c.eod.

e Extr. de vita & hon. cler.c.3, Constit.Prov.de Concess.Præb.c. à nostris & ibi Lynw.Constit. no.91.

modi à Rectore vel Vicario committuntur. Communi duntaxat relatione ad Ecclesiam referuntur reliqui Parochiani, qui expertes alicujus muneris vel officii intra Parochiam sive certos limites Ecclesiæ designatos habitant, vel domicilium habent.

SECT. V.

De Rebus Ecclesiasticis, & de Dominico sacro.

Res Ecclesiasticæ sunt quæ ad cultum divinum comparatæ sunt, E quibus aliæ sacræ sunt, ut Ecclesiæ, altaria, ornamenta & alia divino cultui dicata; aliæ sacris annexæ, ut Commoda & Beneficia quæ pro officiis divinis competunt; aliæ merè temporales, quæ secundùm jus Ecclesiasticum possidentur. E quibus alia ad Gubernatorem Summum, alia ad Gubernatores inferiores, alia ad Plebem Ecclesiasticam vel Parochianos pertinent. Ad Gubernatorem summum spectat Dominicum Sacrum, id est jus consueta commoda à beneficiis & personis Ecclesiasticis percipiendi.

SIcut Personæ ita & Res ad Communionem Ecclesiasticam pertinent, præcipuè [a] Res sacræ quæ Deo ritè dicatæ sunt. Veluti

[a] Instit. Jur. l. 2. tit. 1. § 8.

Veluti *b* Ecclesiæ quæ vel majores sunt, ut Cathedrales in quibus Episcoporum sedes, Collegiatæ in quibus certus personarum Ecclesiasticarum numerus constituitur. Vel minores ut Parochiales & Capellæ in quibus divina officia populo intra certos limites habitanti peraguntur. Item altaria, vasa, vestes, & alia quæ divino cultui inserviunt. Deinde *c* Res sacris annexæ ut Commoda, Beneficia & Possessiones Ecclesiasticæ, quæ ex concessione vel donatione piâ provenerunt. E quibus quæ *d* prioris generis sunt, omnino extra commercium sunt, & à prophanis usibus alienæ esse debent: Reliquæ etiam à *e* collectis & tributis secularibus immunes esse consueverunt. Unde *f* statutum quod nullus venetur in parco, nec piscetur in vivario, nec veniat ad comedendum vel pernoctandum in domo vel manerio alicujus Prælati, nec frumentum vel victualia ejusdem colore venditionis aut aliter asportet, nec equos, boves, plaustra vel naviculas ad portandum aliquis capiat absque ejusdem consensu.

In Dominico sacro sive Commodis Ecclesiasticis quæ ad Regiam Majestatem pertinent habentur Jus Episcopos & Decanos nominandi. Nam Rex Angliæ de jure omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum Patronus supremus habetur. Unde nemo ad Episcopatum promovetur nili postquam Rex eligendi veniam concesserit, & cui post Electionem ipse assensum Regium adhibuerit, quod non solum *h* statutis regni confirmatum, sed etiam Saxonum tempore uti *i* Ingulphus Croylandensis, & prout *k* Cancellarius Angliæ ad Philippum Regem

b C. de sanctis Ecclesiis. Lynwad c. Altissimus de summa Trinit. v.in minor. Eccles. & ad c. Quam sit honestum de celebrat. missarum v. Capellis.

c Panorm.& dd. ad c. Consulere extr. de simonia.

d De immunitat. Ecclesiæ in 6. c. decet.

e L. Sancimus C. de sanctis Ecclesiis extr. de immunit Ecclesiæ c. non minus & c. adversus.

f 3 Ed. 1. c. 1. 4 Ed. 3. c. 3.

g Nomotec. D. H. Finch l. 4 c. 1.

h 25 Ed. 3 c. 25 25 H. 8. c. 20.

i In Historia & D. Spelmannus in Glossario v. Investitura per baculum & annulum.

k Ægidius Magister de Regalis Tract. dd. tom. 13.

Regem Galliæ Literis retulit, hoc jure Reges Angliæ ab omni ævo usi sunt. Eodem modo *l* decanatus antiqui à Rege disponuntur, Recentiores verò, quos Henricus octavus Abatiis suppressis erexit, literis Regiis immediatè conferuntur. Deindè ad Regiam Majestatem spectat *e* Vacantium Episcoporum fructus temporales ad usum proprium percipere; ita tamen ut *f* destructionem res ipsæ non patiantur. Tertiò vigore statuti Regiæ Majestati debentur Annates sive *g* Primitiæ cujuscunque Beneficii Ecclesiastici post vacationem, & decimæ perpetuæ omnium beneficiorum, quas etiam Papa *b* Urbanus Richardo secundo, ut ipsum contra Carolum Regem Galliæ adjuvaret, concessisse perhibetur. Quarto ad Regem spectant subsidia Ecclesiastica sive Contributiones quæ fiunt ab Episcopis & Clericis in Convocatione congregatis ex gratâ recognitione pro pio regimine & protectione, necessitate aut utilitate publicâ exigente. Etsi enim res Ecclesiasticæ à censu vel collectis potestatum secularium liberæ redduntur, *k* si tamen sit in republicâ necessitas vel utilitas subsidia Ecclesiastica denegandâ non sunt.

l Cowel. Interp. v. Deane.
e Constit. Prov. de Immunitate Ecclesiæ, c. Contingit. Duar. de Benef. l. 3. c. 11.
f Magn. Chart. c. 5. 14 Ed. 3. c. 4 & 5.
g 26 H. 8. c. 3. 27 H. 8. c. 8. & 17. 1 Eliz. c. 4.
b Polydor. Vergil. Anglic. Hist. l. 20.
i 35 H. 8. c. 3. 7 Ed. 6. c. 13. 3 & 4 Phil. & Mar. c. 22. 5 Eliz. c. 24.
k Extr. de immunit. Ecclesiæ c. 2. Lanc. Instit. eod. tit. § Quanta.

SECT. VI.

De beneficiis Ecclesiasticis.

Beneficia Ecclesiastica sunt Possessiones & jura Clericis pro sustentatione divini cultus concessa: sunt que vel superiora ut Archiepiscopatus, Episcopatus, Decanatus, Archidiaconatus, & Præbendæ; vel inferiora ut Beneficia Parochialia, Rectoria scilicet & Vicaria.

SIcut Beneficia militaria militibus ob fidem & obsequium; ita *a* Ecclesiastica Beneficia ob functionem sacram Deo consecratis conceduntur. Et in his alia *b* eminentiora sunt ut Archiepiscopatus & Episcopatus, quibus jura *c* cùm spiritualia cùm temporalia competunt. Spiritualia, ut primùm *d* Beneficiorum collatio, deinde *e* Census sive Cathedraticum quod in Synodis ab Ecclesiis subjectis Episcopis persolvitur, & *f* Procurationes quæ Provinciam vel Diœcesin visitantibus pro sumptibus necessariis præstantur, item *g* charitativum subsidium, quod, cùm manifesta aut probabilis causa existit, potest Episcopus à subditis suis impetrare. *h* Temporalia sunt Palatia, prædia, possessiones & jura quæ ex Principum aliorumque liberalitate devenerunt.

Post Archiepiscopatus & Episcopatus Beneficia etiam illustria sunt Decanatus cum Præbendis,

a Duar. de benef. l. 2. c. 4.
b Garsias de benef. p. 1. c. 6. nu. 37 & 38.
c Gregor. de benef. c. 6. Steph. de Jurid. l. 4. c. 14.
d Caus. 16. q. 7. c. omnes Basilicæ.
e Caus. 10. q. 3. c. 1. Extr. de off. ordin. c. Conq.
f Extr. de Censibus c. cum Apostolus & c. cum venerabilis.
g Eod. c. cum Apostolus §. Prohibemus.
h Duar. l. 2. c. 2.

bendis, & Archidiaconatus. E quibus *i* Decanatus & *k* Præbendæ sunt Possessiones & jura quæ ad Decani & Canonicorum sustentationem conceduntur: quæ ita ut plurimum distinguuntur ut Decanus suam partem jure Decanatus seorsim habeat, & singuli Canonici suas partes in jure Præbendarum; *l* reliquum Decani & Capitulum in simul vel communiter obtineant: ex quo quod inter singulos annuatim quasi ex ærario communi dividitur Canonica portio, quod in singulos dies aut menses erogatur quotidiana distributio dicitur. Archidiaconatus item sunt Possessiones & jura quæ Archidiaconis sunt concessa, ut plurimum Prædium vel Beneficium dignitati annexum, & *m* Procurationes sive sumptus necessarii qui ob visitationem penduntur.

i Extr. de Præbendis c. cum secundum Apostolum Barbos. de dignit. c. 12.
k Lynw. ad c. Eusebiensis de Concess. Præbend. v. Præbenda.
l Nomotech. l. 4. c. 4.
m C. eod. cum Apostolus & constit. Othob. de Procurationibus.

Denique pro sustentatione aliorum Clericorum Beneficia Parochialia comparata sunt. Rectoriæ scilicet & Vicariæ è quibus ad Rectoriam, si sit integra, præter domicilium & fundos qui *n* glebæ nomine continentur, & quasi in dotem constituuntur, debentur *o* decimæ tàm personales quæ ex proventibus cujusque industriæ, utpote ex negotiatione & artificio procedunt, quàm ex fructibus prædiorum, fœni scilicet & frumenti, & fœtu animalium proveniunt. Item *p* Oblationes quæ ad altare offeruntur, & Obventiones aliæ, ut quæ pro infantibus baptizandis, pro nuptiis benedicendis, pro agendo gratias cum puerperis, pro mortuis sepeliendis, & similibus, de consuetudine percipiuntur. Quibus etiam accensendum quod pro defunctis nomine *q* Mortuarii præstandum est. Si verò à Rectoria

n Lynw. ad c. Licet. de Ecclesiis ædif. v. glebas.
o Extr. de decimis Provinc. constit. eod. tit. & ibi c. quoniam propter.
p Caus. 10. q. 1. c. Quia Sacerdos. Lynw. ad c. statutum de Consuet. v. Oblationes.
q Constit. Prov. de Consuetud. c. per statutum.

Vicaria perpetua distincta sit, Vicariæ ex fructibus & proventibus Parochialibus r congrua portio assignatur, ut plurimùm majoribus decimis fœni scilicet & frumenti Rectoriæ reservatis, minores decimæ, veluti quæ ex animalibus proveniunt, necnon hortorum decimæ, cum oblationibus & obventionibus, vel aliàs sicut dotatione vel præscriptione constitutum fuerit.

r Rebuff. in praxi benef. de vicariis Nu. 21. Lvnw. adc. Quoniam de off. vicarii v. quisque marcarum.

Et de his quæ ad Beneficia Parochialia spectant etiam statutis regni cautum est, primo ſ quoad decimas Personales quòd quilibet mercaturam aut aliquod artificiũ agens in locis in quibus intra quadraginta annos decimæ personales persolvi consueverunt in festo Paschatis decimas Lucri deductis expensis debitè persolvat. Item quod quilibet decimas t Prædiales in specie secundum consuetudinem loci exhibeat, & à Rectore vel Vicario asportari sinat. Et quod is qui animalia habet quæ in locis communibus pascuntur qui certæ parochiæ non sunt, decimas solvat Rectori vel Vicario ubi habitat. Si verò terræ u steriles & incultæ in prata aut agros arabiles conversæ fuerint, post terminum septem annorum decimæ fœni & granorum præstentur, & eo durante spatio ejusmodi decimæ quales antè culturam præstari consueverunt. x Quòd si quis grandes arbores, quæ ultrà spatium viginti annorum excreverunt, exciderit, ad decimas non teneatur. Deinde quoad y Oblationes etiam statutum quòd omnes debitè persolvant temporibus consuetis, aut saltem in festo Paschatis. Et z quoad Mortuaria, quòd exigantur in Locis duntaxat ubi persolvi consuevè-

ſ 2 Ed. 6. c. 13.

t Ibid.

u Ibid.

x 45 Ed. 3. c. 5.

y 37 H. 8. c. 12.

z 21 H. 8. c. 16.

runt

runt, ab iis scilicet qui in bonis habent, ære alieno deducto, ultra decem marcas, sex solidi & octo denarii; ab iis qui habent ultra quadraginta libras, decem solidi, nec quicquam ulterius quantumcunque habuerint.

SECT. VII.

De Juribus Parochialibus.

Jura Parochialia sunt quæ ad Plebem Ecclesiasticam sive Parochianos spectant. Eáque vel peculiaria ut Jus patronatus quod Patrono, & Stipendia quæ ministris sive servientibus Ecclesiæ competunt; vel generalia, ut Commoda quæ universis, quatenus Parochiani sunt, debentur.

NOn solum Gubernatores, iique qui sacris ordinibus initiati sunt ad commoda Ecclesiastica jus habent, sed & Laici alii, qui peculiari aliquâ relatione ad Ecclesiam referuntur & Parochiani reliqui qui intra terminos alicujus Parochiæ constituti sunt. Prioris generis sunt qui *a* jus Patronatus vendicant, & quibus stipendia pro ministerio debentur. Jus Patronatus est jus præsentandi Clericum idoneum Ecclesiæ vacanti ut ab Episcopo canonicè instituatur: cujusmodi jus aliquando Feudo nobili quod manerium dicitur *b* appendet,

a Extr. de Jure patronatus. Constit. Provin. eodem tit.

b Cowel. in v. Advowson.

pendet, aliquando pro hæreditamento est, & seorsim habetur. Ejus etiam Commodum est quòd *c* potior locus in Ecclesiâ Patrono debetur. *d* Stipendia sunt quæ non ratione divini officii, sed pro labore aliquo temporali benè meritis de Ecclesia, ex rebus Ecclesiasticis conceduntur. Utpote Advocatis, Procuratoribus, Puerorum informatoribus, Ædituis, & aliis Ecclesiæ servientibus. Denique commoda & jura quæ generalitèr *e* universis Parochianis competunt, sunt in Ecclesiâ Parochiali divina officia participare, concionibus interesse, Sacramenta percipere, & alia quæ ad communionem religiosam spectant exercere, & denique more Christiano sepeliri.

c Extr. de Jure patronat. c. Nobis.

d Cauſ. 12. q. 2. c. Quinque.

e Extr. de Parochiis & ibi dd. cauſ. 13. q. 2. ubicunque & ſequ.

SECT.

SECT. VIII.

De Officiis Eccleſiaſticis, & de Officio Gubernatoris ſummi.

Officia Eccleſiaſtica ſunt quæ ad Religionem tuendam, pro Commodis & Beneficiis Eccleſiaſticis præſtanda ſunt. E quibus alia ad Gubernatorem ſummum, alia ad Gubernatores alios, alia ad Plebem Eccleſiaſticam pertinent. Gubernatoris ſummi officium eſt fidem Catholicam & diſciplinam Eccleſiaſticam tueri, necnon Privilegia cùm perſonis tum rebus Eccleſiaſticis indulta conſervare.

IN Politiâ ſacrâ pro commodis quæ quiſque percipit quædam præſtanda ſunt, undè ad Principem ſivè Gubernatorem ſummum qui Defenſor fidei conſtituitur, ſpectat *a* doctrinam & diſciplinam Eccleſiaſticam munire; quia cùm Eccleſiam à Chriſto tuendam ſuſcepit, ſivè augeatur pax & Diſciplina Eccleſiaſtica, ſivè ſolvatur, ei rationem redditurus eſt, qui ejus poteſtati Eccleſiam ſuam tradidit, unde conſuevit *b* ubi cenſuræ Eccleſiaſticæ non ſufficiunt brachium regium & ſeculare impertire. Et ſemper proſpicere, *c* ut Eccleſia ſit libera, & omnia jura & privilegia integra & inviolata retineat.

a Duar. l. 1. c. 5. cauſ. 23. q. 5. c. Principes.
b Cauſ. & q. eadem per totam. Conſtit. Provin. de immunit. Eccleſiæ c. ſeculi Principes.
c Chart. Mag. c. 1.

SECT. IX.

De Officiis Gubernatorum inferiorum.

Officia Gubernatorum aliorum in solicitudine pastorali & animarum curâ consistunt. Sollicitudo Pastoralis est quam Prælati in iis quæ sunt ordinis & jurisdictionis exercendis adhibere tenentur. Animarum cura in iis ponitur quæ pro salute Parochianorum Rectores & Vicarii in functionibus sacris observare debent.

CUm omnibus pro beneficiis officia incumbant, tum graviora iis qui majora beneficia obtinent. Utpote *a* Prælatis quorum est solicitudo pastoralis, quâ ea quæ sunt Ordinis & Jurisdictionis continentur. Et in ter ea quæ sunt Ordinis habentur puerorum confirmatio, Sacrorum ordinum collatio & Ecclesiarum consecratio. *b* Puerorum confirmatio est cum parvulis baptizatis & in Catechismo religionis Christianæ instructis Episcopus cum impositione manuum & precibus benedicit, quod, prout antiquitùs fieri consuevit, in Episcopali visitatione quolibet triennio fieri præcipitur. Sacrorum ordinum Collatio est Diaconorum & Presbyterorum ordinatio ex quâ sacra munia obeundi potestatem habent, quæ etiam *c* impositione manuum, precibus, aliisque solennibus secundùm

a Extr. de offic. Ordinarii, constit. Othon. de off. Archiep. & Episc.

b De consecrat. distinct. 5. c. 12. ext. de sacr. unct. c. unic. constit. nov. c. 60.

c Extr. de sacramentis non iterandis c. ult. constit. nov. c. 32.

dùm ritus publicâ autoritate editos peragendâ est. Et hujusmodi ordines regulariter conferendi sunt *d* in quatuor anni temporibus in quibus jejunia indicuntur, nec *e* eadem persona eodem die ad duos sacros ordines promoveri debet. Et requiritur quòd ut quis Diaconus fiat sit *f* ætatis 23. & ut Presbyter 24. annorum, *g* graduatus in aliqua universitate, aut qui Latinè reddat rationem fidei secundum articulos publica autoritate editos. Item ut *h* Locum aliquem habeat in quo officum exerceat, vel saltem sit socius vel Capellanus alicujus Collegii, vel Magister Artium quinque annorum, qui de proprio vivit. Ordinationem etiam præcedere debet *i* examinatio & *k* subscriptio Articulis de Majestate Regiâ, Liturgiâ Anglicanâ & Articulis Religionis, aliâque observanda quæ Libro Ordinationum publicâ autoritate præscribuntur. Tertiò Ecclesiarum *l* Consecratio est cùm ædes divinis usibus ab Episcopo rite dicantur. De quo *m* cum semel constiterit, non est iterum consecratio adhibenda, nisi incendio, aut ruinâ desecratæ fuerint. Ratione jurisdictionis ad solicitudinem Pastoralem pertinet, Primùm *n* Synodos convocare. Estque Synodus vel Provincialis, quæ à Metropolitano; vel Diocesana, quæ ab Episcopis convocari consuevit, cum de Negotiis Ecclesiasticis majoris momenti deliberandum erat. Secundò subditos *o* visitare, cujusmodi visitatio est de excessibus & de-

d Extr. de Tempor. ordin. c. sanè constit. nov. c. 31.
e Extr. eod. c. dilectus.
f Distinct. 77. c. in singulis Clement. de ætate c. fin. 13 Eliz. c. 12. Constit. nov. c. 34.
g Constit. nov. c. 34.
h Extr. de Præbendis c. cum eamus. Constit. nov. c. 33. constit. Othon. de scrutinio. Et ibi Atho. ad v. titulo.
i Definit. 24. c. quando extr. de scrutinio c. unico. constit. Prov. eod. tit. constit. nov. 34.
k 13 Eliz. c. 12. constit. nov. c. 36.
l De consecrat. dist. 1. c. Eccles.
m Distinct. ead. c. 20.
n Lynw. ad c. statutum de Episc. & c. placuit extr. de senibus c. Procurationes, in fine.
o Caus. 10. q. 1. c. decernimus c. Consuet. v. Synodali.

fectibus

fectibus in Ecclesiasticis reformandis Solennis inquisitio, eaque vel *p* Metropolitica, quæ ab Archiepiscopo, vel Episcopalis, quæ ab Episcopo secundum consuetudinem instituitur. Tertiò faculates & Licentias concedere. Suntque *q* Facultates & Licentiæ Dispensationes & Potestates quæ ab Archiepiscopis vel Episcopis ex causis necessariis, interpositis Juramentis & cautione fide jussoriâ, aliisque de Jure requisitis observatis, conceduntur. Atque hæc ad solicitudinem Pastoralem spectant præter ea quæ in constituendis beneficiis, præsentatis admittendis, & quæ in Judicio vel foro contentioso expedienda sunt.

p De sensibus in 6.c.1. § ex quo.
q Linw.ad. c.1. de Clericis peregrinis v.Licentia Diocesani,& ad c. Religiosa de testam. v. licentia.

In auxilium etiam & subsidium solicitudinis Pastoralis comparata sunt officia Decanorum & Canonicorum necnon Archidiaconorum & Decanorum Ruralium. Et primò *r* Decanorum officium est curare ut in Ecclesiis Cathedralibus Sacerdotes divina officia debitè celebrent, & ut alii munia ritè obeant, omnesque vitam honestè instituant. Canonicorum est ministeria ipsis assignata adimplere, & cum Decano in Capitulo *s* Episcopo in negotiis Ecclesiæ pertractandis concilium & auxilium præstare. Item in Ecclesiis Cathedralibus conciones habere. *u* Archidiaconi est Clericos ad ordines promovendos examinare, Clericorum item moribus prospicere, & in regione sibi commissâ inquirere, & quæ correctione egent corrigere, vel si graviora sunt ad Episcopum deferre.

r Distinct.25.c. 1.ext.de off. Archipresbyt. c. Ministerium.
s Extr. de his quæ fiunt à Prælatis c. novit.
t Constit. nov. c.42,43,44.
u Distinct.25.c. 1. extr. de off. Archid. c. ad hæc & seq.constit.Prov.eod. tit.

x Decani

x Decani Ruralis eſt officium, Clerum in Plebaniâ ſuâ convocare, quæ Epiſcopus ei mandaverit aliis ſignificare, & alia exequi quæ Epiſcopus ipſi permiſerit.

x Extr. de off. Archipresbyt. c. fine.

y Animarum cura & officium quæ Rectoribus & Vicariis in ſuis Parochiis incumbit, requirit, Primo ut z intra duos menſes poſt inductionem ad Beneficia publicè in Eccleſiis ſuis tempore divinorum Articulos Religionis legant, eorumque aſſenſum iiſdem profiteantur: deinde, Ut in diebus Dominicis, feſtis aliiſque conſtitutis a divina officia ſecundum formam præſcriptam in Liturgiâ ſacris veſtibus & habitu gradui competenti peragant. Item ut diebus Dominicis pueros b in Catechiſmo erudiant, & confirmationi aptos faciant, & ut quolibet die Dominico, ſi ad concionandum licentiati fuerint, c concionem habeant. Vel ſi Licentiati non ſint, quolibet menſe per alios concionem habendam procurent, & cum conciones defuerint homilias in Eccleſia Anglicana approbatas legant. Præterea ut ſecundum præſcriptam formam Liturgiæ Anglicanæ, d Sacramenta Baptiſmi & Cœnæ Dominicæ debitis temporibus adminiſtrent, e matrimonia celebrent, pro puerperis gratias agant, f ægrotos viſitent & g defunctos ſepeliant, & h regiſtrum eorum qui baptizati ſunt, qui matrimonium celebrarunt, & ſepulti ſunt in Parochiâ, cuſtodiant, & ſimilia: atque hæc ſpecialia ſunt quæ ad Gubernatores cum in dignitate tum ſine dignitate conſtitutos proprie ſpectant: ad officium omnium

y Lynw. ad c. Audiſtis de Prebend. v. Animarum cura. z 13 Eliz. c. 12. a Conſtit. Provin. de majoritate & obed. & ibi Lynw. & in v. Parebant. b Conſtit nov. c. 59. & 61. Barboſ. de offic. Parroch. c. 15. c Conſtit. Provin. de off. Archipresb. c. ult. & conſtit. nov. c. 45 & 46. Barboſ. de offic. Parroch. c. 14. d 1 Eliz. c. 2. Conſtit. nov. c. 68 & 69. Barboſ. c. 20. e Conſtit. nov. c. 62. f Conſtit. Prov. de offic. Archipresb. c. ult. & conſtit. nov. c. 67 g Ibid. c. 68. h Ibid. c. 70.

um communiter pertinet *i* in Beneficiis suis temporibus debitis residere, & *k* Ecclesias, quantum de Jure aut consuetudine ipsis incumbit, necnon domicilia ad beneficia pertinentia sarta tecta conservare.

i Extr. de Clericis non resident. 21 Hen. 8. c. 13. Constit. Othonis. *Improbam.* constit. nov. c. 42, 43.

k Linw. ad c. 1. de Ecclesiis ædific. v. domos Ecclesiæ & v. defectus.

SECT. X.

De Officiis Parochianorum.

Officia Parochianorum sunt quæ ad cultum divinum à Parochianis præstanda sunt. Eáque vel propria, ut quæ à Patronis, Oeconomis & aliis Ecclesiæ servientibus, vel communia quæ ab omnibus observanda sunt.

PRO Commodis quæ in Communione Ecclesiastica à Parochiani percipiunt ipsi etiam ad munia & officia Ecclesiastica astringuntur. Et primò tenetur Patronus qui & Advocatus Ecclesiæ dicitur, ejus *a* tutelam sic suscipere, ut quoad possit eam ab omni injuriâ tueatur, & si Presbyterum in eâ institutum inutilem esse cognoverit Episcopo denuntiare. Deinde *b* ad Oeconomos spectat prospicere quòd Ecclesia sarta tecta

a Caus. 10. q. 7. c. filiis.

b Constit. nov. c. 80. & sequent. constit. 89 & 90.

&

& decentèr ornata ſit, quòd omnia ad divina officia conciones & ſacramenta neceſſaria comparentur, quòd cœmiterium ſit honeſtè clauſum, quod glebæ Eccleſiæ ſit exacta deſcriptio, quod bonorum aliorum perfectum inventarium fiat, & quod adminiſtrationis ſuæ, cum requiſiti fuerint, rationem reddant. Aliorum eſt qui Eccleſiis deſerviunt pro conditione Loci quem obtinent, & conſuetudine, quæ ad ipſos ſpectant, facere & procurare. Atque hujuſmodi ſunt officia quorundam Parochianorum propria; omnium communia ſunt ea quæ generaliter ad Pietatem & Charitatem Chriſtianam ſpectant, exercere. Et ad pietatem ſpectat tempora jejuniis & divinis officiis deſtinata prout decet obſervare, *d* jejuniis ſcilicet, utpote dies, dies Dominicos & feſtos præcedentes, necnon quadrageſimam & alia ſolennia, quò magis ad divina officia parati ſint, ab eſu carnium abſtinendo. Deinde divinis officiis deſtinata, utpote *e* Dies Dominicos & alios dies feſtos in memoriam Salvatoris, Beatæ virginis, Sanctorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum à prophanis negotiis ceſſando, & ea quæ ad cultum Dei pertinent peragendo, utpote *f* Eccleſias Parochiales & Capellas uſitatas frequentando, & ibi decenter permanendo, dum publicæ preces peraguntur, Conciones habentur, aut alia quæ conducunt ad cultum Dei, & *g* ter & ad minimum in quolibet anno præcipuè in feſto Reſurrectionis in Parochiali Eccleſiâ communionem ſacræ cœnæ Dominicæ participando. Quæ conducunt ad reparationem Eccleſiarum (quarum naves de

c Extr. de Obſervat. jejuniorum.
d 5 & 6 Ed. 6. c. 3.
e Extr. de feriis c. ex ſcripturis, Conſtit. Prov. eod. tit. Lynw. ad c. 1. de offic. Archipresb. v. ſanctifices & ſeq. 5 & 6 E. 6. c. 3.
f 1 Eliz. c. 2. Conſtit. nov. c. 13.
g Conſtit. nov. c. 21.

de consuetudine à Parochianis unà cum iis qui possessiones intra Parochiam obtinent resarciendæ sunt) & alia necessaria comparando, contribuendo & similia. Ad opera Charitatis referuntur bonorum ad publicos usus erogatio, *b* Eleemosynarum elargitio, quæ pro modo facultatum ad sublevandos pauperes exiguntur, & similia. Item inculpatè & sine scandalo vitam agere.

b Constit. Prov. de Ecclesiis ædif. c. ut Parochiani Lynw. ad c. Archdiaconi de off. Archidiaconi v. Reparatione 43 Eliz. c. 2.

DE.

DESCRIPTIO
JURIS & JUDICII
ECCLESIASTICI
SECUNDUM CANONES
ET
Constitutiones Anglicanas.

PARS SECUNDA.

SECT. I.

De Negotiis Ecclesiasticis in specie, & de creatione Beneficii.

Negotia Ecclesiastica in specie sunt quæ ad certa quædam capita referuntur. Utpote imprimis Beneficiorum Constitutio vel Creatio. Deindè Acquisitio, Contractus, & Delictum Ecclesiasticum,

Con-

Constitutio Beneficii est cum Ecclesiæ novæ sustentatio congrua in perpetuum assignatur. Quod etiam unionem vel divisionem admittit. Unio est cùm duo vel plura beneficia in unum rediguntur. Divisio est cum unum in duo vel plura dividitur.

PRæter officia quæ Personis Ecclesiasticis pro commodo & beneficiis incumbunt, alia occurrunt, quæ ultro & cum aliis aguntur, quæ etiam Jure Ecclesiastico censenda sunt: in quibus ut præcipuum, ita primo considerandum Beneficii Creatio vel Constitutio. Beneficium verò creatur, cum in regione vacuâ Ecclesia fundatur & dote congruâ donatur, cujus fundatio *a* cum Episcopi consensu fieri debet, qui ad locum accedat ibique crucem figat, & atrium designet, & priusquam Ecclesiam ædificari patiatur de dote congruâ prospiciat: nec antea mysteriis sacris deputari sinat quàm ritè consecrata fuerit. Cathedralis verò Ecclesia & Collegiata, cujus membra corpus politicum constituunt, non sine *c* autoritate Regiâ construuntur. Terræ etiam vel fundi, ne domini feodorum servitia & obventiones, quæ aliquandò contingunt, amittant, Ecclesiis, vel Beneficiis Ecclesiasticis *d* sine licentiâ Regis & Dominorum concedi nequeunt, nec cum concessæ fuerint in perpetuum *e* alienari aut impignorari nisi formâ canonis observatâ. Contingit etiam ut ex causâ rationabili unum Beneficium vel una Ecclesia alteri annectatur quæ *f* Unio dicitur. Et causâ rationabilis habetur

a Extr. de consecratione distinct. 1. c. Nemo. Caus. 1. q. 2. placuit.

b Auth. de Monachis c. 1. & Novel. 131. c. 7.

c Nomotech. 14. c. 4.

d Magn. Chart. c. 36. 7 Ed. 3. 15. Rich. 2. c. 5. 23 H. 8. c. 10.

e Extr. de Rebus Ecclesiæ non alien. Constit. Prov. eod. tit.

f Extr. de excessibus Prælat. c. sicut.

cum necessitas, ut si duæ Ecclesiæ adeò sint pauperes ut earum proventus duobus Sacerdotibus non sufficiant; tùm utilitas, ut cum locorum opportunitas, vel temporis qualitas id exposcit, velut cum Parochianorum numerus est imminutus. Deinde unio fit *i* tripliciter, primò cum alterâ Ecclesiâ bello fortè vel incendio sublatâ, jura ejusdem alteri annectuntur. Secundò quando utràque Ecclesiâ remanente, unus utrique æqualiter præficitur. Tertiò quando una Ecclesia vel unum Beneficium alteri subjicitur, ita ut id cui fit unio sit superius & principale, id quod unitur inferius & accessorium. Ut Capellania Ecclesiæ Parochiali, Ecclesia Parochialis Canonicatui Ecclesiæ Cathedralis. Uniri etiam possunt minora Beneficia ab Episcopo Diœceseos cum consensu Patroni. Episcopatus verò non nisi supremâ autoritate accedente. Denique quando Episcopatui, Decanatui & Capitulo, vel Collegio alicui Beneficium unitur vel in proprios usus conceditur, *k* Appropriatio dicitur. Et de his, statutis ordinatum quòd unio & consolidatio duarum Ecclesiarum, sive Capellæ, & Ecclesiæ, quæ extra distantiam unius milliaris à se invicem non existunt, & quarum altera non excedit valorem sex librarum in libris Regiis, fiat cum consensu Ordinarii, Patroni & Incumbentis; &, in villâ incorporatâ, etiam cum consensu majoris partis inhabitantium. Et quoàd Appropriationes faciendas in quibus regius assensus, requiritur, *l* quòd in quàlibet Licentiâ in Cancellaria impetranda expresse declaretur quod Diœcesanus Loci provideat con-

g Extr. de Præbendis c. exposuisti.

h Cauſ. 16. q. 1. c. & temporis & c. postquam.

i Reb. in praxi Benef. de unione nu. 11. & seq.

k Constit. Othob. de Appropriatione Ecclesiarum. Lynw. ad c. licet de locato & conduct. v. Appropriatio.

l 15 R. 2. c. 6.

gruam portionem pecuniæ annuatim solvendam ex fructibus pro sustentatione pauperum, & quòd sit Vicaria bene & sufficienter dotata. Sicut unionem, ita ex causâ rationabili pari autoritate Beneficia Divisionem admittunt, utpote *m* ob incrementum populi, vel cum pars Parochianorum adeò *n* distat à veteri Ecclesiâ ut aliquandò non sinè periculo vel cum magnâ difficultate accedere possint; quippè ex causis hujusmodi nova Ecclesia erigi potest. Et pro sustentatione Presbyteri pars proventuum assignari, ita tamen quòd *o* à filiali Ecclesiâ matrici competens honor exhibeatur.

m Cauf. 16. q. 1. c. Præcipimus.

n Extr. de Ecclesiis ædific. c. ad Audientiam.

constit. Othonis Othoboni nè & Ecclesia una dividatur in plures.

o Constit. de oblationibus matrici Ecclesiæ restituendis. Jo. de Atho. ad c. Improbam v. ad hoc tenentur § Aut. Capella.

SECT. II.

De Acquisitione Ecclesiastica, & de Acquisitione Beneficii.

Acquisitio Ecclesiastica est qua Juri Ecclesiastico congruit, estque vel Beneficii vel Juris alicujus in Beneficio, vel Successio in bonis defunctorum. Acquisitio Beneficii est quâ quis Beneficium consequitur, utpotè cum per Electionem, Collationem, Præsentationem vel Donationem admittitur. Et durat donec Renunciatione, Recessu, Amotione vel Morte vacat.

DE Jure Ecclesiastico non minùs quam Temporali certi modi constituti sunt, qui-

quibus Perſonæ Jus in rebus adipiſcantur. Et primò ad Beneficia quod attinet *a* jamdiù profligatâ Pontificis Romani poteſtate, quâ per modum Proviſionis Beneficia conferebat, Majora, ut Epiſcopatus & Dignitates per Electionem acquiruntur. Eſtque *b* Electio, cum quis omnibus vel pluribus ſuffragiis coptatur, quæ fit vel *c* per Scrutinium cum aliqui aliorum vota ſecretè in ſcriptis excipiunt, vel vivâ voce, cum ſinguli conſenſum palàm exponunt, vel per *d* compromiſſum, cum univerſi in paucos eligendi poteſtatem transferunt. Electionem etiam regulariter ſequitur *e* Confirmatio, id eſt præhabitâ de modo Electionis & de perſonâ electi examinatione, à ſuperiore approbatio. *f* Archiepiſcopus electus ab alio Archiepiſcopo & duobus Epiſcopis, ſive à quatuor Epiſcopis authoritate Regiâ deſignatis. Epiſcopi verò ab Archiepiſcopo, Juramento fidelitatis primùm præſtito, confirmantur. Sed & ut quis Epiſcopatum plenè conſequatur *g* Conſecratio requiritur, quæ ſecundum ritus præſcriptos ab Archiepiſcopo & duobus aliis Epiſcopis fieri ſolet. Alia Beneficia per Collationem & Inſtitutionem conferuntur. Collatio eſt cum is, qui Ordinariam poteſtatem habet, Beneficium proprio Jure immediatè confert, ut Epiſcopus Beneficium quod ad diſpoſitionem ipſius ſpectat. *i* Inſtitutio eſt cum quis ad Præſentationem alterius, Patroni ſcilicet, ab ordinario ad Beneficium promovetur, quod intrà viginti octo dies fieri debet. Sed & aliqua *k* Donatione ſimplici, Patroni ſcilicet abſque Inſtitutione Ordinarii ob-

a 38 Ed. 3. ſtatut. de Proviſ. c. 1. & 2.

b Extr. de electione.

c Extr. eod. c. quia propter.

d c. eodem.

e De electione in 6. c. quam tit. 25 H. 8. c. 20.

f Diſtinct. 100. c. quoniam & diſtinct 75. c. quoniam.

g Extr. de conceſſione Præbendæ. conſtit. Prov. eod. tit. Clem. 1. de Præbendis Lynw. ad c. 1. de Jurejur. verb. Præſentatus.

i Extra de Jure Patron. Conſtit. Prov. de Inſtitut. Lynw. ad 1. de v. Præſentatus.

k Gregor. Tholes. de Beneficiis c. 11. Lynw. ad c. 1. de cohabit. Cleric. & mulier. v. Beneficiali.

obtinentur. Utpote Capellaniæ quædam fundatæ per Laicos, quæ manent in dispositione fundatorum.

Constitutum verò est *l* Ne filius succedat patri in Ecclesiâ, nisi cum eo dispensatum fuerit, & statutis cautum, primò quòd nullus *m* Alienigena ad Beneficium admittatur, sine Licentiâ Domini Regis. Item *n* quòd nullus admittatur ad Beneficium curatum valoris triginta librarum in libris Regiis, nisi Baccalaureus Theologiæ aut Concionator publicè approbatus, nec ad quodvis aliud Beneficium curatum nisi Diaconus fuerit ætatis ad minimùm 23 annorum.

Deinde *o* requiritur quòd quisque priusquam ad Beneficium admittatur subscribat articulis Religionis, & tribus Capitulis in 36. Canone contentis. Item *p* juramentum de Primatu Regis & juramentum *q* Allegiantiæ sive fidelitatis, & quòd *r* Simoniam non commiserit, necnon de *s* Obedientiâ Canonicâ præstare debet; & si ad Vicariam sit admittendus, quòd ibi *t* Residentiam faciet. Post confirmationem electionis, collationem, & Institutionem promotus ad Beneficium in ejus possessionem *u* inducendus est; quod fit in Episcopatibus & Dignitatibus deducendo in Cathedram, vel assignando locum in Choro: in aliis Beneficiis, per ingressum Ecclesiæ, pulsationem companarum, atque alias solennitates. Qui ita acquisivit Beneficium, Incumbens dicitur; & sic habetur, donec Beneficium vacet; quod *x* contingit primùm *y* Renunciatione sive Relignatione, quæ est Juris sui in Beneficio libera cessio vel dimissio, quæ

l Constit. Othonis. Ne filius succedat patri. Constit. Prov. de filiis Presbyt. c. 1.
m 3 R. 2. c. 3. 7 R. 2. c. 12.
n 13. Eliz. c. 12.
o Constit. nov. c. 36.
p 1 Eliz. c. 1.
q 3 Jac. c. 4.
r Constit. Prov. de Junejur. c. 1. Constit. nov. c. 40.
s Extr. de majorit. & obedientia. Constit. Provin. eod. tit.
t Constit. Othon. de Institutione Vicariorum.
u Rebuff. in praxi Benef. de missione in possessi.
x Lynw. ad c. eminentis de Concess. Præb. v. vacationem.
y Extr. de Renunciation. Linw. ad c. 1. de Præsumpt. v. Renuncians.

quæ verbis vel scriptis exponitur, & in manus superioris, ejusque cum consensu regulariter fieri debet. Secundò *z* Recessu vacat Beneficium; nimirum cum quis secundum assequutus est, & pacificè possidet: præterquam Episcopatum, in quo, ut priora Beneficia vacent, non tantum electionem, Confirmationem, & Installationem, sed etiam *a* Consecrationem, vel saltem decursum temporis consecrationi præstitutum, quod *b* trium mensium habetur, præcedere oportet, Ita etiam *c* statutum, quòd si quis beneficium curatum habens annuum valorem octo librarum attingens, aut excedens, aliud beneficium curatum accipiat, statim post institutionem & inductionem, prius ipso jure vacare judicetur. *d* Permissum tamen est aliis ratione Obsequii in divinis, Regiæ Majestati, ejusque liberis, necnon Prælatis, Proceribus, & Officiariis Regiis secundùm numerum præstitutum, aliis ratione sanguinis vel nobilitatis, ut Baronum & Equitum auratorum filiis, & fratribus, aliis ratione scientiæ & gradus, ut Doctoribus & Baccalaureis Theologiæ, Doctoribus Juris & Baccalaureis juris Canonici plura Beneficia obtinendi dispensationem sive Licentiam impetrare. Provisum insuper quòd *e* nulla Dignitas vel Præbenda in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, nec Rectoria Vicariam dotatam habens, nec Beneficium perpetuò appropriatum, curatum Beneficium intelligatur. Tertio *f* Amotione vacat Beneficium, utpotè cum quis ob crimen Beneficio exuitur; & postremò vacat *g* Morte, nisi ubi Canonicatuum aut

z Extr. de Præbendis c. de multa. Othob. de Institutionibus Constit. Prov. de Præbendis c. Audistis.
a Extr. de electione c cum in cunctis.
b Distinct. 100. c quoniam.
c 21 H 8. c. 13.
d c. Eod.
e c. Eod.
f Lynw. ad c. Etsi rentis de Concessione. Præb. v. Primitiis amoveri.
g Lynw. ubi sverb. vacatur.

Præbendarum numerus definitus non est. Nam Vacatio dicitur respectu existentiæ & numeri.

Cum vacaverit Ecclesia, intrà certum tempus alius præficiendus est *h* (nec priusquam vacare constiterit) quòd si quis, ad quem de Jure spectat conferre vel præsentare, omiserit, jus præficiendi ad superiorem proximum *i* devolvitur; ita si Patronus intrà sex menses Clericum non præsentaverit, Episcopus cui volet conferre potest; & si Episcopus intrà sex menses non contulerit, Archiepiscopus jus conferendi habet. Archiepiscopo verò negligente per idem temporis spatium, ad Regem & non ultrà fiet devolutio. Et de Jure Canonico *k* tempus devolutionis currit non à die *l* vacationis, sed à die notitiæ, vel à die quo sciri debuit. Statuto autem cautum, casu quo quis Beneficio privatus fuerit, nemini tempus ad lapsum computandum priusquam ab Ordinario certior factus fuerit.

h Constit. Prov. de Concess. Præb. c. Esurientis.

i Rebuff in praxi Benef. de devolutionibus. Lynw. ad c. 1. de Jure Patronat. v. devolvuntur. Nomotech. 14. tit. 8. Cust. Nor. c. 112.

k c. Unici de Jure Patronat. in 6.

l 13 Eliz. c. 12.

SECT.

SECT. III.

De Acquisitione fructuum Beneficii.

Acquiruntur fructus Beneficii cum quis non ipsum beneficium sed fructus alicujus Beneficii percipiendi jus adeptus est, ut cum fructus vacantis Beneficii ad aliquem deferuntur, vel in Commendam conceduntur, vel cum quis vigore Exemptionis vel Præscriptionis obtinet.

BEneficium ipsum modis præmissis obtinetur; fructus vero beneficii aliis obtineri possunt. Et primò cùm Beneficium vacat, *a* Episcopatus scilicet, ejus commoda temporalia ad Regiam Majestatem pertinent donec successori restituere placuerit; ut verò res ipsæ non destruantur, statutum, ut fructus pro justo valore *b* Decano & Capitulo dimittantur. Spiritualia verò, de Jure Canonico, ad Capitulum sede vacante deferebantur. De consuetudine verò *c* Archiepiscopi, vacante quavis suæ Provinciæ sede Episcopali, custodiam Ecclesiasticæ Jurisdictionis habent, quæ aliàs de jure communi ad Capitulum spectat. Aliorum Beneficiorum vacantium fructus *d* alicubi de consuetudine olim Episcopi percipiebant, quod primum Constitutione Othoboni interdictum. Postea etiam statuto ordinatum est ad sublevandum onus

a S. de dominico sacro.

b 14 Ed. 3. c. 5.

c Antiq. Brit. de Cantuariensis sedis privilegiis. Nu. 40. Lynw. ad c. 1. de Hereticis v. Diocesano.

d Ne Prælati fructus Ecclesiarum vacantium præcipiant.

primitiarum, quod decimæ, fructus, reditus, & commoda quæcunque cujuscunque Decanatus, Archidiaconatus, Dignitatis vel Beneficii Ecclesiastici, quæ tempore vacationis contigerint, proximo incumbenti reserventur. Deductis duntaxat stipendio rationabili illi qui interim curæ inserviit, & salario pro collectione eorundem debito.

f De Elect. in 6. c. Nemo Garsias de Beneficiis l. 4. c. 4.

f Commendam conceditur Beneficium, cùm supremâ autoritate accedente Ecclesiæ vacantis custodia, Clerico alicui commendatur, qui ejusdem Administrator generalis constituitur. Et olim pro evidenti utilitate Ecclesiæ ad tempus sex mensium permittebatur, nec commendatarius fructus suos faciebat, sed eorundem totiusque administrationis rationem reddere tenebatur. *g* Postea vero intuitu personæ & pro ejusdem utilitate usurpari consuevit, & deinde ad instar tituli & perpetui beneficii pro tempore vitæ habebatur. Tertiò *h* Exemptione acquiruntur fructus Beneficii, cum aliqui non solvendi decimas vel retinendi decimas Privilegium à Pontifice Romano obtinerent. Cujusmodi Privilegia Cistercienſibus, Templariis & Hospitalariis indulta sunt. Unde *i* statuto ordinatum est, quod Possessiones quæ cùm ad Monasteria pertinerent à decimis immunes erant, cùm ad Regem aut alios, qui à Rege titulum haberent, devenirent, eàdem immunitate gauderent. Quarto *k* Præscriptione fructus Beneficiorum & Jura ejusmodi acquiruntur, cum quis scilicet per tempus immemoriale possedit, vel cum titulo per quadraginta annos adeptus est.

g Garsias de Benefic. p. 1. c. 6.

h Extr. de decimis: c. a nobis.

i 31 H. 8. c. 13.

k Extr. de decimis c. cum sint. & c. Ad Apostolica. Rebuff. de decimis, q. 13.

SECT.

SECT. IV.

De Succeſſione in bonis Defunctorum.

Succeſſio in bonis defunctorum eſt, cum quis ad bona mobilia defuncti ab Ordinario admittitur: idque vel ex Teſtamento, ut Executor in Teſtamento nominatus; vel ab Inteſtato, veluti uxor aut aliquis ex liberis vel proximis conſanguineis.

NOn ſolum rerum ſacrarum & earum quæ ſacris annexæ ſunt, ſed etiam temporalium acquiſitio, cum ex eâ conſcientiæ vel animæ periculum impendet, Juri Eccleſiaſtico ſubjici poteſt. Ita *a* diſpoſitio bonorum ſecundum voluntates defunctorum & pro ſalute animarum eorum qui inteſtati mortui ſunt, quaſi Negotium quod ad Religionem pertinebat ex *b* Conſuetudine antiquiſſimâ in hoc Regno Juri Eccleſiaſtico permiſſa eſt. Quod in probandis ultimis voluntatibus aliquid remittit, in exequendis verò plus exigit. Nam cum Leges Civiles in Teſtamento condendo *c* numerum ſeptem teſtium, & nonnullas ſolennitates, Jus Canonicum *d* duos ſaltem teſtes cum Parocho requirat, jure quo nos utimur ſufficit coram *e* duobus liberis hominibus ſive Clericis ſive Laicis teſtamentum condi, imò omnem probationem teſtamenti idoneam exiſtimamus quæ primæ

a Extr. de teſtamentis c. 23.
b Glanvil. l. 7. c. 7. Bracton. l. 2. c. 26. Lynw. ad c. ſtatutum de teſtamentis, v. Approbat. & v. Eccleſiaſt. Libert.
c C. De teſtamentis, l. ſi unus.
d Extr. de teſtamentis c. cum eſſes.
e Cowel. Inſtit. l. 2. tit. 10.

primæ Juris Gentium simplicitati satisfacit. Cum verò de Testamento condito non est dubium, in testamento Executor nominatus, qui Loco Hæredis habetur, de bonis tamen mobilibus disponere nec actionem instituere potest, priusquam Testamentum exequendi autoritatem ab Ordinario adeptus fuerit: quam potestatem ut obtineat *f* oportet, prolato coram Judice Ecclesiastico Testamento, juramentum suscipere quod credat testamentum exhibitum esse verum atque ultimum testamentum defuncti, & quòd justum & fidele *g* inventarium omnium & singulorum bonorum quæ defunctus die vitæ & mortis habuit conficiat, & tempore assignato exhibebit; item quòd debita, & Legata solvet; & rationes justas suæ executionis reddet, quandocunque requisitus fuerit. Sin verò quis *h* intestatus decesserit, ad Ordinarium etiam spectat *i* Administrationem bonorum viduæ aut proximo consanguineo, aut utrique juxta discretionem, concedere, præstito etiam priùs juramento, defunctum quantùm constat, nullo Testamento condito decessisse: præterea se justum inventarium exhibiturum, debita defuncti juxta valorem bonorum persoluturum, & si quid superfuerit liberis aut aliis consanguineis defuncti juxta portiones à Judice assignandas erogaturum, & rationes justas sui muneris redditurum. Insuper priusquam literas Administratorias sigillo communitas accipiet, seipsum cum idoneis fidejussoribus pro justa bonorum Administratione obligare debet. Statutis verò cautum quod *k* Recusantes convicti tempore mortis cujuscunque

f Cowel. ibid. § 5. Lynw. ad c. statutum. de testam. v. permittas ad seq. & v. talibus.

g Lynw. ad c. item quia eod. tit. v. Inventarium constitut. Othoboni de executione testamentorum.

h Constit. Othob. de bonis intestatorum.

i Bract. l. 2. c. 26. 21 H. 8. c. 5. Othob. de Immunit. Eccles. c. Accedit. Lynw. ad c. Ita quorundam de testam. v. necnon ab intestato. Idem ad c. Item quod, eod. tit. v. Commission. Administrationis.

k 3 Jac. c. 5.

que teſtatoris, aut tempore conceſſionis Literarum Adminiſtrationis inhabiles ſint ad ſuſcipiendum officium Executoris vel Adminiſtratoris.

l Ordinarij autem qui hujuſmodi Executoribus & Adminiſtratoribus autoritatem præſtant, ſunt, ſi defunctus bona notabilia id eſt valoris quinque librarum in diverſis Dioceſibus tempore mortis habuerit, Archiepiſcopi jure Prærogativæ per Provincias ſuas; ſi extrà Dioceſin bona notabilia non habuerit, Epiſcopi dioceſeos in quâ quis moritur. Et ſicut ſtatuto confirmatum eſt quòd Probatio & inſinuatio Teſtamentorum & conceſſio Literarum Adminiſtrationum bonorum eorum qui inteſtati moriuntur, ad Epiſcopos pertineat, ita etiam ordinatum quòd horum miniſtri percipiant *m* feoda duntaxat in ſtatuto definita, videlicet pro Teſtamento, ubi bona non excedunt quinque libras, duodecim denarios; ubi quinque libras excedunt, nec tamen 40 l. tres ſolidos & ſex denarios; & ſi 40 l. exceſſerint, quinque ſolidos duntaxat. Pro literis Adminiſtrationis; ſi bona quinque libras non excedunt, nihil omninò; ubi excedunt quinque, nec tamen quadraginta, duos ſolidos & ſex denarios.

l Lynw. ad c. ſtatutum de teſtam. v. Approb. & v. Laicus eod. Antiquitat. Britanniæ de privileg. ſedis Cantuar. fol. 35. nu. 30.

m 21 H. 8. c. 4.

SECT.

SECT. V.

De Contractu Ecclesiastico, & de Contractu circa Beneficium.

Contractus Ecclesiasticus est qui Juri Ecclesiastico congruit; estque vel de Beneficio, vel de fructibus Beneficii, vel Contractus Conjugalis.

Contractus de Beneficio est vel Compositionis, quâ de portione aliquâ vel Pensione ex Beneficio delibandâ convenitur: vel Permutationis, quâ de Beneficiis mutuò hinc indè transferendis agitur.

CUm Clericis negotiatio sit interdicta, nec Res sacræ sint in Commercio, & in iis quæ sacris annexæ sunt prohibita sit alienatio; contingit quòd pauciores sint contractus qui ad Jus Ecclesiasticum spectent. Ex iis tamen aliqui circà ipsa Beneficia vel Beneficiorum proprietatem celebrantur. Et primò de iis habetur *a* Compositio; etsi enim de rebus spiritualibus & hisce annexis transactio propter periculum animæ non concedatur, *b* amicabilis compositio in Beneficialibus locum habet. Et hujusmodi compositio quandoque inter Rectorem & Vicarium intercedit *c* de congruâ Portione vel Pensione; quandoque inter Rectores diversarum Ecclesiarum ut *d* decimæ quædam in unâ Parochiâ provenientes

a Ext. de decimis c. ex multiplici. Lynw. ad c. quoniam de offic. Vicarii v. sunt contenti.

b Ext. de decimis c. dilecti & seq. Rebuff. de decimis q. 13. nu. 14. & seq.

c Lynw. ubi S. & eod. c. v. assignetur.

d Extr. de transact. c. statuimus.

nientes alterius Parochiæ Rectori perſolvantur. Ita verò compoſitio vim obtinet, ſi cum cauſæ cognitione, *e* Epiſcopi vel ſuperioris autoritas, eorumque, quorum intereſt, conſenſus intervenerit. Secundò circa proprietatem Beneficiorum *f* Permutatio contrahitur, quæ eſt unius Beneficii ad aliud mutua præſtatio. Nam licèt hujuſmodi permutationes ex pactionibus omninò Licitæ non habentur, *g* Epiſcopus tamen poteſt de uno loco ad alium aliquos transferre, ut qui uni loco ſint minùs utiles, poſſint alibi ſe utiliùs exercere. Itaque in Permutatione etiam requiritur *h* cauſa, quam Epiſcopus diſquirere debet, & illorum *i* conſenſus ad quos Præſentatio ſpectat adhibendus eſt.

e Extr. de tranſact. c. venient.

f Rebuff. in praxi Benef. de permutatione Benef.

g Extr. de Rerum permutatione c. quæſitum & ſeq.

h C. eodem in fine & ibi d.d.

i Rebuff. ubi S. Nu. 21.

SECT. VI.

De Contractu circa fructus Beneficii.

Contractus circa fructus Beneficii eſt, cùm Sequeſtrationis, qua jus colligendi fructus ad uſum alterius alicui committitur, tùm Locationis, quâ jus percipiendi ad uſum proprium ad tempus pro mercede conceditur.

a Extr. de ſequeſtrat. & conſtit. Prov. eod. tit. & ibi Lynw. ad c. frequens v. permiſſis. Conſtit. Othob. ne Prælati fructus.

BEneficiorum fructus aliquandò ſuperioris autoritate, aliquando propriâ diſponuntur, a ſuperiori per modum *a* ſequeſtrationis, quæ

quæ est commissio potestatis colligendi fructus Beneficii custodiæ causa; estque vel *b* vacantis Beneficii ad usum proximi incumbentis, vel *c* Litigiosi ad usum jus habentis: ex quâ tenetur is qui sequestrationem suscepit finito tempore sequestrationi destinato fructus perceptos restituere, vel eorundem rationem reddere. Autoritate propriâ Incumbentis fructus ad alterius usum locantur, cum vel integri fructus beneficii, vel pars aliqua eorundem alicui pro mercede ad tempus concedantur. Nam etsi res Ecclesiasticæ alienari non possunt, proventus tamen earum ad tempus *d* Locari possunt, ita de Jure Canonico Prædia in *e* Emphyteusin, id est, in perpetuum sub annuo censu; res verò melioris conditionis ad *f* modicum tempus concedi potuerunt: Statutis verò cautum est ut *g* Archiepiscopi, Episcopi, & qui Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis præsunt terras suas ultra terminum viginti unius annorum locare non possunt, nec pro minori reditu quàm locari solebant: quod cum ad Regiam Majestatem extendere non videbatur, postea à Serenissimo Rege JACOBO ordinatum est, ne *b* Archiepiscopi vel Episcopi possessiones suas ad Regiam Majestatem transferendi potestatem habeant, nec alienationes vel concessiones effectum ullum sortiantur.

i Permissum tamen domos in civitatibus, aut villis incorporatis aut in publicis Emporiis quæ fundos ultra quantitatem decem acrarum non habent secundum Legem communem dimittere.

b 28 H.8. c.11.
c Ext. de sequestr. penult. & ult. Athon. ad constit. Ne Prælati fructus v. sequestrationes.

d Extr. de locato c. vestra. constit. Prov. eod. tir.
e Caus. 10.q. 2. c. ea.
f Extr. de Precariis. Othob. Ne Ecclesia ultra quinquennium.
g 32 H.8.c.28. 13 Eliz. c. 10.
h 1 Jac. c.3.
i 4 Eliz. c. 11.

k Qui

k Qui verò Beneficia curata habent ea ad aliquod tempus diutius quam quo super iis residebunt (absentiâ octaginta dierum quotannis permissa) locare nequeunt, nisi duo Beneficia retinendi facultatem habent, quo in casu alterum curato dimittere permittuntur. *l* Ei etiam qui beneficium curatum habet omnino interdictum est ne alio Rectoriam vel Vicariam conducat.

k 13 Eliz. c. 20.

l 21 H. 8. c. 13.

SECT. VII.

De Contractu Conjugali.

Contractus conjugalis est quo personæ idoneæ viri scilicet & mulieres habiles de individuâ vitæ societate consentiunt: cujusmodi est sponsalia quibus privatim, & Nuptiæ, quibus palam matrimonium contrahitur.

PRæter Contractus qui circa Beneficia & Fructus beneficiorum fiunt, Jure Ecclesiastico præcipuè regitur contractus conjugalis in quo de fœdere matrimoniali agitur, quod voti religiosi conditionem sapit & cùm *a* Sponsalibus tùm Nuptiis peragitur.

a Extr. de sponsal. & matrimon. Constat. Provæod. tit.

b Sponsalia sunt privata vel sine solennitate personarum contrahentium conventio, vel *c* de futuro, quandò aliqui se futuros conjuges spondent, vel de præsenti, quando *d* per verba de præsenti, viri & mulieres quoad ma-

b Caus. 30. q. 5. c. Nostrat.

c Extr. de spons. c. 2.

d Extr. de desponsat. Impub.

matrimonium simul in se invicem consentiunt.

e Caus. 30.q.5. Constit. Prov. de sponsal. c. unic. & de clandest. desp. c. 1.

e Nuptiæ sunt cum in facie Ecclesiæ, bannis prius legitimè denuntiatis, vir & mulier Parocho interrogante per verba & ceremonias usitatas se maritum & uxorem invicem solenniter profitentur, & tales à Parocho cum benedictione pronuntiantur.

f Extr. de feriis c. Capellanus. Lynw ad c. 1. de decimis v. Nubentium solenniis & ad c. 1. de clandestina desponsat. v. solemnizatione.

Illud autem observandum quòd *f* quibusdam temporibus divino cultui specialiter destinatis nuptiæ celebrari non permittuntur, nempè à sexagesimâ usque ad octavum Paschatis; a tribus diebus Rogationum usque ad octavam; & per totum adventum. Item quod Nuptiæ celebrentur *g* in Ecclesiis vel Capellis ubi altera pars contrahentium habitat: tempore divinorum, inter horas nonam & duodecimam ante meridiem, & quod ante nuptiarum celebrationem *h* tribus diebus Dominicis vel Festivis, tempore divinorum in Ecclesiis ubi contrahentes habitant, futuri matrimonii denuntiationes fiant, nisi ut aliter fiant ab Ordinario dispensatum fuerit. Cum verò quam plurima sint Impedimenta quæ, de Jure Canonico, matrimoniis obstant: statutis declaratur quòd *i* omnes personæ legitimæ sint ad matrimonium contrahendum qui divino jure contrahere non prohibentur: & quòd nulla prohibitio ultra gradus Leviticos matrimonium impediat.

g Constit. nov. 62. 102.

h Extr. de clandest. desp. c. cum inhibitio. Constit. Prov. eod. tit. & Constit. nov. 62. 101.

i 32 H. 8. c. 38. 2 Ed. 6. c. 23.

Secundo quòd *k* omnes Leges positivæ, Canones, & Constitutiones, quæ personis Ecclesiasticis cujuscunque conditionis matrimonium interdicunt, qui jure divino licitè matrimonium contrahere possunt, irritæ sint prorsus & nullius roboris.

k 2 & 3 Ed. 6. c. 21. 5 Ed. 6. c. 28. 1 Jac. c. 25.

SECT.

SECT. VIII.

De Delictis Ecclesiasticis & de Delictis contra Pietatem.

Delictum Ecclesiasticum est quod contra jus Ecclesiasticum committitur, estque vel contrà Pietatem, vel contrà Charitatem, vel contrà Officium Ecclesiasticum. Delicta contrà Pietatem vel Religionem sunt quæ Religionem & Pietatem lædunt. Veluti Apostasia, Hæresis, Schisma, Informitas, Blasphemia, Perjurium, Sacrilegium, Simonia, Prophanatio, violatio libertatum Ecclesiasticarum, Desidia in divinis, Perturbatio, & subtractio eorum quæ ad pietatem sustinendam de Jure conducunt, & similia.

UT quæ contra jus Temporale committuntur delicta temporalia habentur, ita Ecclesiastica censentur, quæ contra jus Ecclesiasticum, in quibus inprimis observanda sunt quibus Religio læditur, utpotè primo *a* Apostasia quæ est totalis à Religione Christiana discessio.

Secundò *b* Hæresis, cùm quis dogma aliquod erroneum circà fidem Catholicam pertinacitèr tenet.

Tertiò *c* Schisma, cùm quis ab unitate Ecclesiæ se dividit.

Quartò *d* Inconformitas, cùm quis Liturgiæ, Ritibus & Ceremoniis Ecclesiæ, aut modo

a Apostatum C. de Apostatis, c. 26. q. 7. c. non observetis.

b L. 2. c. de Hæreticis, fine cauſ. 24. q. 1. 2. & 3. extr. de Hæreticis.

c Cauſ. 24. q. 3. c. inter hæreſin. extr. de ſchiſmaticis. Lynw. ad c. 1. de Magiſtris v. ſchiſmatum. Conſtit. nov. c. 9.

d 1 Eliz. c. 2. Conſtit. nov. c. 6.

do ordinandi Diaconos & Presbyteros vel consecrandi Episcopos adversatur.

Quintò *d* Blasphemia, cùm quis divinæ Majestati vel Sanctis detrahit.

Sextò *e* Perjurium, cùm quis contrà Conscientiam falsum juramentum præstat.

Septimò *f* Sacrilegium, quod committitur, cùm quis in *g* Clericum violentas manus injicit, cùm quis *h* sacrum de sacro, vel sacrum de non-sacro, vel non-sacrum de sacro aufert.

Octavò *i* Simonia, quæ est rerum spiritualium vel earum quæ spiritualibus annexæ sunt Emptio & Venditio.

Nonò Prophanatio, *k* cùm diebus Dominicis vel Festis illicita vel prophana negotia peraguntur. *l* Si in Ecclesiis vel locis sacris contractus, Placita, Negotia sæcularia, Convivia, ludi theatrales vel similia habeantur. Si *m* rixæ, contentiones vel pugnæ in Ecclesiis vel Cœmiteriis committantur; Si Ecclesiæ *n* destruantur vel dilapidentur.

Decimò, violatio *o* Libertatum Ecclesiasticarum, cùm quis Privilegia & immunitates personis & rebus Ecclesiasticis concessas impugnat.

Undecimò *p* Defectus in divinis, cùm quis sacris officiis quoties oportet non interest; sa-

d Extr. de Maledicis, c. 2. Lynw. ad c. 1. de off. Archipresb. v. Blasphemia.

e Extr. de Rescript. c. 2. & extr. de Jurejur. c. tua nos.

f Lynw. ad c. 1. v. sacrilegium de off. Archipresb.

g Cauf. 17. q. 4. c. si quis suadente Diabolo.

h C. de crimine sacrileg. c. 17. q. 4. c. quisquis

i C. de Episcopis & Cler. l. si quenquam. extr. de simonia c. cum in Ecclesia & seq.

k 5 & 6 Ed. 6. c. 3. Constit. nov. c. 13.

l Distin. 42. c. Non oportet & seq. extr. de Immunit. Eccles. c. cum Ecclesia & eod. tit. in 6. c. decet Constit.

Orthob. quod Negotiationes non fiant. *m* 5 & 6 Ed. 6. c. 4. *n* Cauf. 17. q. 4. c. sicut extr. de Raptoribus & violat. c. 2. & c. cum in literis. Lynw. ad c. Imprimis de tempor. ordinand. v. Ecclesiarum incendiarios. Constit. Prov. de off. Archidia. c. ult. & ibi Lynw. *o* Cauf. 17. q. 4. c. miror & seq. extr. de Immunit. Ecclesiæ. Constit. Prov. de Judiciis c. Item omnes. *p* 5 & 6 Ed. 6. c. 3. Constit. nov. c. 13.

cramentum

cramentum quando præcipitur non percipit; aut alia, quæ ad divinum cultum requiruntur, non peragit.

Duodecimò *q* Perturbatio in Divinis eſt cùm quis aliquem in ſede impediverit, vel officiis divinis intento moleſtus fuerit. *q* Conſtit. nov. c. 111.

Decimo tertiò ſubtractio eorum quæ ad Pietatem ſuſtinendam conducunt eſt, cum quis decimas, oblationes, aut alia pro divinis officiis debita perſolvere renuit.

SECT. IX.

De Delictis contra Charitatem.

Delicta contra Charitatem ſunt, quibus Charitas violatur aut impeditur; veluti Incontinentia, Ebrietas, uſuraria pravitas, Diffamatio & ſimilia.

PRo Charitate in Societate Eccleſiaſticâ tuendâ & ad evitandum *a* ſcandalum, quædam etiàm Jure Eccleſiaſtico prohibentur de quibus olim in Legibus temporalibus non eſt cautum. Cujus generis primò eſt *b* Incontinentia, peccatum ſcilicet contrà Caſtitatem; ſub quo graviſſimum habetur *c* Inceſtus, cum quis Parentibus, Liberis, & Conſanguineis, vel affinibus intra gradus prohibitos impudicè adhæret. Cui proximè

a Lynw. ad c. Presb. de Jurejurando v. ſcandala.
b Cauſ. 36. q. 1. c. 2. in addition.
c Cauſ. 35. q. 2. c. Conjunctiones & ſeq.

accedit *d* Adulterium, sivè alieni tori vialatio. Deinde *e* Fornicatio, quæ inter personas solutas intercedit; iisque adjungitur *f* Lenocinium, cum alicujus ope vel auxilio aliquid ejusmodi perpetratur. Deindè hoc Jure prohibetur etiam *g* Ebrietas, peccatum contrà Sobrietatem, & *h* usuraria pravitas, cum quis pro re mutuò datâ aliquid ultrà sortem exigit. Et *i* Diffamatio, cùm quis ad infamiam aut vituperationem alterius aliquid verbis vel scriptis effert, & similia, quæ cum omnibus sint interdicta, multò magis *k* Clericis, quibus etiàm quædam quæ aliis sunt licita tanquam ordini indecora prohibentur: veluti Vestitu inordinato uti, arma gerere, aleis vel taxillis ludere, tabernas frequentare, lucri causa negotiari, & similia. Quinetiam Clerici quandoque ex delictis Incorrigibiles, quandoque irregulares censentur. *l* Incorrigibiles qui sæpius, ter scilicet admoniti, à delictis non desistunt. *m* Irregulares qui crimen Capitale, veluti homicidium, aut aliud grave, veluti si ab officio suspensi, divinis se ingesserint, commiserint.

d Caus. 32. q. 4. c. Nemo & c. non mæchaberis. Extr. de Adulteriis.

e Caus. 32. q. 4. c. Meretrices & seq. Lynw. de off. Archid. c. 1. v. Fornicatio.

f L. Auxilium in fine. D. de Minoribus. Lynw. ad c. Item licet de Purgat. canon. v. Simuli.

g Distinct. 35 c. 35. & seq.

h Caus. 14. q. 3. c. plerique extr. de usuris constit. Provin. c. de pignor. c. unic.

i Caus. 2. q. 8. c. quisquis extr. de Calumniatoribus c. qui crimen, constit. Provin. c. de sententia excom. c. 1.

k Distinct. 35 c. 1. & seq. extr. de vita & con. cler. Constit. Prov. 60. tit. Constit. nov. c. 74, 75, 76.

l Linw. ad c. Item statuimus de pœnis v. incorrigibilis.

m Dist. 50 c. si Episcopus de sent. & re jud. in 6. c. 1. Constit. Prov. de temp. ord. c. Inpr. & ibi Lynw. ad v. Irregular.

SECT.

SECT. X.

De Delictis contra Officium Eccleſiaſticum.

Delictum contra officium Eccleſiaſticum eſt quod perſonæ Eccleſiaſticæ in iis quæ ipſis incumbunt contra Jus Eccleſiaſticum committunt.

DElicta contra Pietatem & Charitatem ſunt communia; quæ verò contrà officium admittuntur propria ſunt eorum qui ad officia Eccleſiaſtica tenentur. Et primò *a* Prælatis pro delicto imputatur, Si *b* Clericos non ſuos ſine literis dimiſſoriis promoveant, ſi extra *c* tempora ſtatuta, aut *d* titulum non habentibus ſacros ordines conferant,& ſimilia. Deinde aliis in Dignitate conſtitutis pro delicto habetur, ſi ea quæ ipſis ſpecialitèr incumbunt non exequantur. Tertio ij etiam qui curam animarum habent contra officium delinquunt, ſi in divina officia *g* celebrando, Sacramenta adminiſtrando, Pueros in Elementis Religionis erudiendo, Concionando, Ægrotos viſitando, Mortuos ſepeliendo & ſimilibus, quod ad eorum officium ſpectat quicquam prætermittant, aut in peragendo, *h* modos & ritus præſcriptos non obſervent.

Atque hæc delicta propria ſunt. Communia tam Prælatorum quam aliorum ſunt *k* ſi diutiùs quam de Jure permiſſum eſt à Beneficiis

a Extr. de ſuppleud. neg. Prælat.

b De tempor ordin in 6.c 2 & 3 Conſtit.Prov.de temporibus ordin. c. quia.

c Diſtinct. 75. c. ult. Extr. de temp. ordin. c. ſanè & c. cum quidam.

d Extr. de Præbendis c. Epiſc.

g Diſtinct.92.c. ult. Extr. de celebrat.miſſarum Barl. de off. Paroch. c.14,15, 16.& ſeq.

h Conſtit. Prov. de clandeſt. deſpon.c.1 & 2. in fine & ibi Linw.

k Extr. de clericis nonReſidentibus 21 H. 8. c.13.

ficiis absint ex quo non Residere dicuntur, nisi ex rationabili causa cum iis dispensatum fuerit, *l* si partes Ecclesiarum quas reficere tenentur, vel domicilia quæ ad Beneficia pertinent dilapidari vel in ruinam vergere patiantur. Postremo contra officium delinquunt *m* Parochiani præter ea quæ ad Pietatem pertinent, si ea quæ vel speciali vel generali respectu iis incumbunt, non præstent.

l Extr. de Ecclesiis reparandis Constituti. Othob de domibus Ecclesiarum reficiendis.

m Vide S. de offic. Paroch.

DE-

DESCRIPTIO
JURIS & JUDICII
ECCLESIASTICI
SECUNDUM CANONES
ET
Constitutiones Anglicanas.

PARS TERTIA.

SECT. I.

De Judicio Ecclesiastico.

Judicium Ecclesiasticum est quod de causis Ecclesiasticis instituitur, & prout in genere respicitur in Curiâ Ecclesiasticâ, Cognitione &

Censuris Ecclesiasticis expeditur, deinde ad certa vel specialia Negotia applicatur.

QUemadmodum ad decidendas causas temporales Judicia sæcularia, ita ad Controversias Ecclesiasticas terminandas *a* Judicia Ecclesiastica comparata sunt, in quibus scilicet personæ Ecclesiasticæ coram Judice Ecclesiastico disceptent. Et quòd hujusmodi Judicia in causis Ecclesiasticis exerceri possint antiquitùs statuto *b* Circumspectè agatis & *c* Articulis Cleri comprobatur. Ad judicium verò Ecclesiasticum exercendum prætèr Judices, *d* Advocati, Procuratores, Registrarii & Apparatores adhibentur. Ad Judices quod attinet statuto ordinatum quòd *e* personæ etiàm conjugatæ dummodò Doctores Juris Civilis fuerint, qui ad officium Cancellarii, Vicarii generalis, officialis vel Commissarii à Majestate Regiâ, Archiepiscopo, Episcopo, Archidiacono aut alio quocunque potestatem habente deputati sunt omnem Jurisdictionem Ecclesiasticam exercere & quamlibet censuram sive coercitionem irrogare possint. Constitutionibus verò *f* novis requiritur quòd sint ætatis 26. annorum, periti in Jure Civili & Ecclesiastico, Magistri Artium vel Baccalaurei Juris, qui in susceptione officii juramentum præstent de Primatu regio & de sincerè administrando Justitiam, & articulis religionis subscribant. Deindè *g* Advocati sunt qui in jis quæ ad jus & merita causæ spectant, judices instruunt. *h* Procuratores sunt proùt de Jure Civili qui in Judiciis

a Extr. de Judiciis & tit. & seq. Constit. Prov. tit. eod. & seq. Constit. nov. 119. & seq.
b 13 E. 1.
c C. 9. Ed. 2.
d Extr. de off. Jud. ordin. & de leg. & de offic. vic. Constit. Prov. iisd. tit.
e 37 H. 8. c. 17.
f Constit. 127, 128.
g Extr. de Postulando constit. Prov. eod. tit. Constit. Othonis & Othob. de off. Advocati.
h Extr. de Procurat. Constit. Othonis & Prov. eod. tit. Constit. nov. 129, 130, 131.

Judiciis secundùm mandatum, aliorum nomine litigant, qui si ab universitate constituuntur *i* Syndici dicuntur, qui absque mandato causas suscipere non debent, nec sine consilio advocati. *k* Registarii sunt qui acta & res gestas coràm Judice scribunt. *l* Apparatores qui citationes & ejusmodi mandata exequuntur.

i Extr. de Syndico.
k Constit.nov. 134,135, 136.
l Constit. nov. 138.

SECT. II.

De Curiis Ecclesiasticis, & de Curiis Supremis.

Curiæ Ecclesiasticæ sunt fora in quibus Judicia Ecclesiastica exercentur; Suntque vel Supremæ, Intermediæ, vel Inferiores. Curiæ Supremæ sunt quæ authoritate Regiâ immediatè instituuntur. Ut Curiæ Delegatorum & Commissariorum Regiorum.

AD Judicia Ecclesiastica exercenda judicibus tribunalia constituta sunt, quæ *a* consistoria dicuntur, ad quæ subditi conveniendi sunt, non solùm *b* Clerici qui præterquàm in causis *c* feudalibus & aliis quæ de communi Jure aut statuto aliquo ad tribunalia sæcularia pertinent sæcularibus curiis subditi non sunt, *d* nec Ecclesiastici fori privilegio renuntiare possunt, sed etiam *e* Laici in causis

a Vocab. utriusque jur.v. Consistorium.
b Extr. de foro compet.c.1.2.& seq. Constit. Prov.eod.tit.c.1.
c Extr. eod.c. transmiss.& c. verum.
d Extr.eod.c. si diliges.
e Extr.eod.c. si clericus & c. Licet.

causis quæ de Jure Ecclesiastico, vel de Consuètudine ad Cognitionem Ecclesiasticam spectant, nec ex aliquâ causâ Ecclesiasticâ ad
f 24 H. 8. c. 12. Curiam aliquam extrà *f* regnum quisquam trahendus est: ità enim statuto ordinatum, quòd omnes Causæ, quarum Cognitio ex Benignitate Principum & secundùm Leges & Consuetudines Regni ad Jurisdictionem spiritualem Regni pertinent, quotiescunque emergant infrà regnum vel ditionem aliquam Regiæ Majestati subditam, infra Iurisdictionem Regiam & non alibi audiantur & determinentur in Curiis Ecclesiasticis, prout natura, qualitas & conditio earundem requirit; & si quis in causis prædictis à Curiâ Romanâ aut aliquâ aliâ curiâ extrà regnum citationem, inhibitionem vel sententiam procurabit, vel procurare conatus fuerit, pœnam incurrat quæ statuto de Præmunire 16 Richardi secundi irrogatur.

In his Curiis primas obtinent quæ a Commissione Regia pendent, utpotè Curia Delegatorum, in quâ Causæ civiles & appellationum ab Archiepiscopis devolutæ deciduntur. Et Curia Commissariorum Regiorum, in qua Delicta Ecclesiastica supremâ autoritate co-
g 25 H. 8. c. 19. ercentur. Pro Jurisdictione *g* Delegatorum statutum fuit, quòd cùm nulla appellatio in causis intrà regnum inchoatis ad Curiam Romanam vel extrà Regnum fieri possit, propter defectum Justitiæ in Curiis Archiepiscoporum liceat parti gravatæ ad Regiam Majestatem in Curiâ Cancellariæ appellare, & quòd post ejusmodi appellationem Commissio sub magno sigillo personis specialitèr designandis diri-

dirigatur, qui vigore ejuſdem quamlibet cauſam appellationis audiendi & finaliter terminandi poteſtatem habeant. Deinde pro Juriſdictione etiam ſupremorum *h* Commiſſariorum Regiorum ordinatum eſt, quòd Regia Majeſtas poſſit per Literas patentes ſub magno ſigillo Angliæ quoties libuerit perſonas ex ſubditis quos voluerit nominare qui per univerſum regnum & terras ſub Dominatione Regiâ Juriſdictionem exercere poſſint, & omnes errores, hæreſes, ſchiſmata, abuſus, delicta & contemptus quoſcunque viſitare, reformare, & corrigere quæ qualibet poteſtate Eccleſiaſticâ corrigi & reformari poſſint, quódque perſonæ ſic nominatæ præmiſſa exercendi & exequendi ſecundum tenorem Literarum patentium poteſtatem habeant.

h 1 Eliz. c. 1.

SECT. III.

De Curiis Intermediis.

Curiæ intermediæ ſunt in quibus Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Juriſdictio exercetur. Imprimis Archiepiſcoporum ut Archiepiſcopi Cantuarienſis Curia de Arcubus, Audientia, & Prærogativæ; deinde Epiſcoporum quæ in Eccleſiis Cathedralibus aut locis remotioribus conſtitutæ ſunt.

SIcut alii vigore Delegatæ poteſtatis & Commiſſionis Regiæ, ita ſub Regiâ Majeſtate,

jestate, virtute Jurisdictionis ordinariæ Archiepiscopi & Episcopi judicandi potestatem habent, *a* Ampliorem verò Archiepiscopi, in quorum Curiis *b* Causæ appellationum à quibuscunque Curiis intrà Provinciam, etiam omisso medio interpositæ terminantur, & *c* Literis Requisitoriis ab ordinario obtentis quælibet controversiæ inter quascunque personas originaliter instituuntur.

a Extr. de officio Legati c. 1.
b Antiq. Britan. de Privilegiis sedis Cantuar. fol. 34. nu. 20.
c 23 H. 8. c. 10.

Inter Curias verò Archiepiscopi Cantuariensis, Primaria est *d* Curia de Arcubus, ab Ecclesiâ arcuatâ, quæ Londini Beatæ Virgini Mariæ dicata est, denominata; cujus Judex Decanus de Arcubus insignitur: Post eam *e* Curia Audientiæ in Ecclesiâ Beati Pauli Londini habetur; quæ etsi æqualis sit Jurisdictionis, inferior tamen cùm antiquitate, tùm dignitate existimatur. Ejusque Judex causarum Negotiorumque audientiæ Cantuariensis Auditor, seu Officialis dicitur. Eodem loco *f* Curia Prærogativæ Cantuariensis observatur, in quâ omnes controversiæ de testamentis quarum probatio ad Archiepiscopi Jurisdictionem spectat, & de bonis eorum qui intestati defuncti sunt Administrandis, quæ sunt cognitionis ejusdem, disceptantur & terminantur.

d Antiq. Britan. ubi S. fol. 36. nu. 40. vid. Lynw. ad Constit. de Accusat. v. vel ejus officiales.
e Ibid. fol. 38. nu. 10.
f Ibid. nu. 30. 23 H. 8. c. 9. propè finem.

Ordinariæ etiàm Jurisdictionis ratione Episcopi suas *g* Curias habent in Ecclesiis Cathedralibus, quibus Cancellarii præsunt; & Locis remotioribus, in quibus *h* Commissarii præficiuntur.

g 23 H. 8. c. eod.
h Cow. in v. Commissary.

SECT.

SECT. IV.

De Curiis inferioribus.

Curiæ Inferiores sunt quæ sub Episcopis ad alios spectant, utpotè ad Archidiaconos, Decanos & Capitulum, eosque qui peculiares Jurisdictiones obtinent.

PRo amplitudine quarundam Diocesium præter Curias quæ ad Episcopos spectant, Judicia etiam in aliis ab iis qui jurisdictionem habent exercentur. Utpotè in Curiis *a* Archidiaconorum in quibus de causis intrà Archidiaconatus regionem contingentibus lites intentantur. Decanorum & Capitulorum qui in Locis Ecclesiæ Cathedrali vel ipsis concessis, de causis cognoscunt; Et eòrum qui *b* Peculiares Jurisdictiones in quibusdam Parochiis habent, intrà quarum limites qui degunt aliquando Archidiaconali, aliquando Episcopali Jurisdictioni eximuntur.

a 23 H.8.c.9. Cow.in v. official.

b Extr.de privilegiis & eod. tit. in 6.

SECT.

SECT. V.

De Cognitione Ecclesiasticâ, & de Cognitione per Probationem.

Cognitio Ecclesiastica est modus exquirendi veritatem in causis Ecclesiasticis, veluti per Probationes, per Præsumptiones, & per Juramentum.

Cognitio per Probationes est, cùm secundùm Testimonia aut Instrumenta fide digna de causâ statuitur.

DE Jure Ecclesiastico modus procedendi in Judicio idem propemodùm habetur qui de jure Civili, pro naturâ causarum, plenariè scilicèt vel *a* summariè; & cùm in primâ instantiâ, tùm in causâ *b* appellationis, præterquàm quòd cùm de Jure civili à sententiâ duntaxat *c* definitivâ appellare licuit, de Jure *d* Canonico etiam à decreto interlocutorio, & à gravamine appellare fit permissum; & cùm utroque jure decem dies tantummodò ad interponendum appellationem concedantur, in causis Ecclesiasticis per statutum *e* quindecim dierum spatium, ad appellandum indulgeatur. Sed & iidem modi explorandi veritatem in Judiciis Ecclesiasticis qui in civilibus adhibentur, per Probationes scilicet, per præsumptiones, & per Juramentum partis. E quibus præcipuus est *f* per Probationes,

a Clement. de Judiciis c. dispendiosam. & Clement. de verb. signif. c. sæpè.
b Extr. de Appellat. Constit. Prov. eod. Constit. nov. 96, 97, 98.
c C. Quorum Appellationes l. ante.
d Extr. de c. appellat. super eo. 2. Constit. Prov. de Appell. c. in concilio.
e 24 H. 8. c. 12.
f Extr. de Probat.

nes, nimirùm Teſtimonia & Inſtrumenta; & circà teſtes & Teſtimonia præcipitur, quòd non ſolùm ad *b* multitudinem teſtium Judicem reſpicere oporteat, ſed etiam ad qualitatem illorum, ex quâ cum multæ exceptiones ſecundum Jus civile colligantur, ſecundùm Jus Canonicum ſtatuitur quòd *i* Excommunicati ad teſtimonium ferendum non admittantur, vel ſi admiſſi fuerint, eorum dictis & depoſitionibus nulla omninò fides habeatur. Deinde ad Probationes Legitimas, vel fidem in Judicio faciendam *k* inſtrumenta vel ſcripturæ exhiberi ſolent, præſertim *l* publica & authentica, id eſt per notarium publicum ſcripta, & authentico ſigillo munita, aliquando etiam eorum *m* exempla ſolennitèr ab Originalibus deſumpta, id eſt, cum poſt inſpectionem Judicis Ordinarij ejuſdem autoritate earundem copiæ per perſonam publicam extrahuntur, quòd ſi inſtrumenta *n* Cancellata, abolita aut in aliquâ parte vitiata fuerint ad Probationem non ſufficiunt.

b Cauſ. 4. q. 3. c. ſi teſtes.

i Cauſ. 3. q. 4. c. Conſpiratores.

k Extr. de fide Inſtrumentorum.

l Extr. de Probat. c. poſt ceſſionem.

m Extr. de fide Inſtrum. c. fin.

n Extr. eod. c. ex parte & ibi Abbas.

SECT.

SECT. VI.

De Cognitione per Præsumptiones.

Cognitio per Præsumptiones est quandò in Judicio aliquid ex alio infertur, idque vel certò, vel de verisimili.

CUm Probationes directæ omnino desunt vel minus sufficiunt, in Judicio Ecclesiastico quemadmodum in Civili *a* Præsumptiones admittuntur, quæ vel certiores sunt, vel minus certæ. *b* Certiores quæ ex rerum naturâ ducuntur, ut mulierem gravidam esse vel peperisse quia lac habet; vel quiâ de Jure sic statutum est, ut Patrem esse quem nuptiæ demonstrant, & eum in matrimonium consensisse qui virginem cognovit, cum quâ per verba de futuro contraxit. *c* Minus certæ vel verisimiles sunt cum ita ut plurimum sive sæpius contingit, aut plurium opinione, aut communi famâ ità esse perhibetur.

a Extr. de Præsumpt. Constit. Prov. eod. tit.
b Extr. eod: c. ex Literis.
c Extr. eod. c. Illud quoque.
d Lynw. ad Constit. de Jurejur. v. diffamati.

SECT.

SECT. VII.

De Cognitione per Juramentum.

Cognitio per Juramentum est, cum quæstio facti vel id, de quo dubitatur, juramento decidi-tur.

IN ijs quæ sunt minoris præjudicij, ut de Constitutione Procuratoris, citatione partis, & alijs quæ ad instruendum Judicium fiunt, soli *a* juramento creditur donec contrarium probatum fuerit. Sed & circà merita causæ juramentum defertur, idque *b* parti reæ quæ vigore juramenti propositis ex parte actoris, ut eum ab onere probandi relevet, respondere tenetur, quandoque etiam actori ad supplendas probationes semiplenas, undè juramentum suppletorium dicitur; quod Locum non habet in causis arduis, nec deferri facilè debet à Judice, nisi pars cui defertur sit integræ existimationis.

a Extr. de Jurejur. Constit. Prov. eod. tit.
b Extr. eod. c. ex Literis.
c Extr. eod. c. fin.

SECT. VIII.

De Coërcitione Ecclesiastica & de Excommunicatione.

Coërcitio Ecclesiastica est censura sive pœna, quæ ob contemptum vel delictum in Judicio Ecclesiastico infligitur. Utpote Excommunicatio, Pœnitentia, & Suspensio.

Excommunicatio est, cum alicui communione fidelium interdicitur: cui affine est interdictum, quo pluribus divinorum officiorum celebratio aufertur.

AD tuendum Judicium Ecclesiasticum etiam *a* censuræ Ecclesiasticæ comparatæ sunt. *b* Quæ tam ratione contumaciæ, quàm aliorum excessuum infliguntur. Pro qualitate culpæ vel Delicti leviores vel graviores, & quandoque *c* ipso jure, quandoque *d* decreto vel sententiâ Judicis irrogantur. *e* Excommunicatio est à Communione exclusio; eaque vel *f* minor, cùm quis à participatione Sacramentorum, vel communione in divinis officiis arcetur. Vel major, cum quis à communione fidelium etiam in temporalibus abstinere cogitur: atque hæc quandoque ex causis gravioribus cum majori solennitate ab Episcopo scilicet *h* cum duodecem Sacerdotibus

peragitur,

a Lynw. ad c. statutum de Consuetud. v. Censura.
b Extr. de dolo & contum. & de offic. ordin. c. ad reprimendum.
c Abbas in rubric. ex de sententia excom.
d Abb Ibid.
e Extr. de sent. excommuni. Constit. Prov. eod. tit.
f Caus. 11 q. 3. c. ad mensam. §. aliquando. §. est 106.
g Caus. & c. ijsdem. *h* Caus. 11. q. 3. c. debent. & alia.

peragitur, & *i* Anathema dicitur. Et ſi quis poſt ſententiam Excommunicationis in contumaciâ per quadragint. dies perſtiterit *k* Breve regium de excommunicato capiendo contra ipſum concedendum eſt, cujus vigore captus in carcerem conjiciatur, undè *l* nullâ cautione vel fidejuſſione liberabitur priuſquam pro delicto ſatisfecerit. *m* Interdictum eſt, cùm certo populo, vel intra certum locum divina officia celebrari prohibentur. Et in homines illatum, eoſdem ubivis locorum comitatur; cùm verò *n* locus interdicitur, poſſunt homines alibi divinis intereſſe.

i Cauſ. 3. q. 4. c. Engelti udam. *k* 9. Ed. 2. c. 12. 3. Ed. 3. c. 15. Lynw. ad c. præterea de ſententia excom v. Regni conſuetudinis. *l* 5 Eliz. c. 23. *m* De ſententia excom. in 6. c. ſi ſententia. &c. ſi civitas. *n* c. eodem, ſi ſententia.

SECT. IX.

De Pœnitentia.

Pœnitentia eſt, cum quis crimen confiteri, & lugere publicè compellitur.

PRæter Cenſuras generales quæ communionem Eccleſiaſticam reſpiciunt, alia eſt quâ corpus afficitur, nimirum *a* Pœnitentia publica vel corporalis, cum quis delictum publicè confiteri & lugere cogitur. Ut qui peccando *b* ſcandalum præbuit pœnitentiam peragendo Emendationis exemplum exhibeat. Et hujuſmodi pœnitentia certi habitus delatione, & agnitione palam in Eccleſiâ peragi-

a Extr. de pœnitentijs. Conſtit. Prov. eod. tit & ibi Lynw. ad c. præterea. v. ſolennis. *b* Diſtinct. 43. c. Sed illud.

c Distinct. 50. c. in capit. 64.
d 9 Ed. c. 2. 3. & 4. Lynw. ad c. accidit de Immunit. Eccleſiæ v. Juſte poterunt.

tur; aliquando etiam propter majora ſcelera *c* ab Epiſcopo imponitur, & cum majori ſolennitate præſtanda eſt. Pœnitentia verò corporalis ordinaria, ſi pars delinquens cui imponitur petat à Judice, in *d* pœnam pecuniariam mutari poteſt.

SECT. X.

De Suſpenſione.

Suſpenſio eſt, cùm alicui executioni officij vel fructibus beneficij interdicitur; eaque vel temporalis ad tempus ſcilicet, vel perpetua, cùm quis ordinibus ſacris exuitur; quæ Degradatio dicitur; vel à beneficio amovetur, quæ Deprivatio appellatur.

a Clement. de pœnis. c. cupientem. v. ſuſpenſi. & ibi gloſſ. Lynw. de ſententia excom. ſuſpenſionis. &c.

b De pœnis in 6. c. Degradatio.

SUſpenſio quæ circa officium & Beneficium contingit, cenſura propria eſt quæ iis infligitur qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt, aut beneficia obtinent. Et primum, quod ad officium ſpectat, ſuſpenſio ab officio eſt, cùm quis ad tempus inhabilis ad exequendum ea quæ ordinis ſunt, vel ad officium pertinent declaratur. Secundò, cùm quis omnino omnibus Ordinibus ſpoliatur, quod *b* Degradatio dicitur; eſtque vel Simplex quæ ſolis verbis fit; vel ſolennis, quæ non tantum verbis ſed etiam factis celebratur; ut cùm Clerici ſingulis ordinum inſignijs exuuntur,

tur, & Degradatione perfectà *c* Curiæ ſæculari traduntur. Quæ pœna non niſi pro gravibus & Capitalibus Delictis inuri ſolet. Deindè quoàd Beneficia, ſuſpenſio à *d* Beneficio eſt, cum ad tempus beneficij commodis quis privatur, quæ pœna ob minora delicta arbitrio Judicis imponi poteſt; & cum quis penitùs à Beneficio amovetur, quæ *e* Deprivatio nominatur; & pro majoribus delictis imponitur, quibus hujuſmodi pœna in jure ſtatuitur.

c Lynw. ad c. Item ſtatuimus de Pœnis. v. adjudicetur.

d Gloſſ. in Clem. prædict. Conſtit. Prov. ubi Supra.

e C. 16. q. 7. c. Inventum. extr. de Reſcriptis c. dilectus.

DESCRIPTIO
JURIS & JUDICII
ECCLESIASTICI
SECUNDUM CANONES
ET
Conſtitutiones Anglicanas.

PARS QUARTA.

SECT. I.

De Judiciis circa Negotia Eccleſiaſtica in ſpecie, & de Judicio circa ſtatum Beneficii.

Judicium circa Negotia Eccleſiaſtica in ſpecie ſunt, quandò de ſtatu Beneficii, de Acquiſitione, Contractu, vel Delicto Eccleſiaſtico controverſia ſtatuitur.

Judicium de statu Ecclesiæ est, quandò de Unione vel Divisione disceptatur.

CUM Res Ecclesiasticæ sicut temporales controversiis sint obnoxiæ, de iis etiam prout de aliis contingit judicia specialia exerceri. Et primò de statu Ecclesiæ judicium instituitur, cùm de Unione & Divisione agitur. Ipsum verò Unionis faciendæ Negotium *a* Judicii speciem habet, cùm coràm Ordinario vocatis iis quorum interest causis propositis & ventilatis pro unione decernitur, vel in contrarium pronunciatur. Et quià Justitiam magis quam gratiam concernit, si Episcopus facere recuset, *b* superior adiri potest. Deinde de *c* Unione Judicium instituitur, cùm controversia est utrum Unio facta sit necne; Item quandò agitur ad revocationem Unionis, cessante causa propter quam facta est, vel aliàs ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ. Et de *d* Divisione Beneficii coram Ordinario eodem modo agi potest.

a Rebuff. in praxi Benef. de unione nu. 43.

b Extr. de Jure Patron. c. Nullus

c Garsias de Benefic. p. 12. c. 2. §. 1. & seq.

d Idem, p. 12. c. 4.

SECT.

SECT. II.

De Judicio Acquiſitionis Eccleſiaſticæ, & de Judicio Acquiſitionis Beneficii.

Judicium Acquiſitionis Eccleſiaſticæ eſt in quo agitur de Proprietate vel Poſſeſſione rei alicujus Eccleſiaſticæ, utpote Beneficii, vel fructus alicujus Beneficii, vel de ſucceſſione in bonis defunctorum.

Judicium Acquiſitionis Beneficii eſt, cùm agitur ad beneficium adipiſcendum, vel recuperandum ab eo qui ſpoliaverit.

POſt Controverſias quæ de ſtatu Beneficiorũ contingunt, expendi poſſunt quæ circa acquiſitionem oboriuntur. Et primũ ad adipiſcendũ beneficiũ agitur vel coram Ordinario, vel coram ſuperiore. Coram *a* Ordinario, cùm duo vel plures patroni ad beneficium vacans diverſos Clericos præſentaverunt, unde *b* Ordinarius die & loco ſtatuto, ſex Clericis & ſex Laicis, Eccleſiæ vacanti vicinis, juramento oneratis (quæ non multum differt à Cognitionis modo Prælatis Normanniæ à Philippo Rege indulto) de Juribus Patronorum & qualitatibus Clericorum inquiſitionem mandat, & prout ipſi retulerint, inſtitutionem decernit. Deindè coràm ſuperiore ad adipiſcendum beneficium agitur, cùm Ordinarius Clericum qui eidem præſentationem exhibuit, inſtituere recuſavit, *d* fa.tâ fide per Clericum quòd Epiſ-

a Extr. de Jure-Patronat. c. 22. & c. 27. Conſtit. Prov. tit. eod. c. 1. & ibi Lynw.

b Conſtit. Prov. eod. c. per noſtram. & ibi Lynw. in v. non tenere in fine.

c Cuit. Norm. c. 112.

d Conſtit. nov. c. 95.

Episcopus recusavit, & quòd viginti octo dies lapsi sunt à tempore quo præsentationem exhibuit, quo in casu qui Jurisdictioni Archiepiscopali præest Rescriptum quod Duplex Querela dicitur Ordinario emittit, quo monet ut intra certum tempus Clericum præsentatum admittat, vel compareat & ostendat rationabilem causam quare ob ejus negligentiam jus *e* instituendi devolvi non debeat; & si in die præstituto nec Episcopus, nec ejus Procurator compareat, Judex superior jus instituendi ad se devolutum pronuntiat, & Clericum instituendum decernit. Quod si Episcopus comparuerit, & causas sufficientes, utpotè quod Ecclesia fuerit plena, vel præsentatus criminosus aut inhabilis, allegaverit & probaverit, ferenda est sententia pro Episcopo, vel si defecerit in probatione contra eundem. Denique ad recuperandum beneficium agitur, cùm quis se de *f* beneficii possessione violenter ejectum apud judicem conqueritur, de quo cum Judici constiterit spoliatum antè omnia *g* restituendum decernet, & ut ejectus vel spoliatus naturalem possessionem recipiat, & *h* fructus non tantùm à violento possessore perceptos, sed etiam qui à veteri possessore verilimiliter percipi potuissent, recuperet.

e Extr. de supplend negligentia Prælat.

f Extr. de restitut. spoliatorum. *g* Caus. 2. q. 2. c. omnes & seq. caus. 3. q. 1. c. Reintegrand. *h* Extr. de Restitutione spol. c. Gravis.

SECT.

SECT. III.

De Judicio Acquiſitionis fructuum Beneficii.

Judicium Acquiſitionis fructuum Beneficii eſt, cùm de fructibus ad Beneficium pertinentibus diſceptatur; utpotè de fructibus tempore vacationis perceptis, vel poſt incumbentiam, de Synodalibus, Procurationibus, Decimis, Oblationibus, Mortuariis & ſimilibus, pro quorum detentione aliquando Exemptio, aliquando Præſcriptio prætenditur.

DE fructibus & commodis Beneficiorum plures ſunt Litium cauſæ, & primo ſi fructus vacationis tempore percepti detenti fuerint, condici poſſunt *a* ex Lege quâ proximo incumbenti conceduntur. Deindè ſi Rectores aut Vicarii Synodalia vel Procurationes perſolvere differant, conveniri poſſunt in cauſâ ſubtractionis *b* Synodalium vel Procurationum. Sed & ſi Parochiani *c* decimas, Oblationes, Obventiones, Mortuaria aut alia jura debita detinuerint, agi poteſt contra eoſdem in cauſis ſubtractionum Decimarum, Oblationum aut Reliquorum. Quæ cauſæ etiam ſtatutis confirmantur; quibus ordinatum, quod ſi quis *d* fruges prædiales priuſquam decimas expoſuerit ipſe aſportaverit, in triplici

a 22 H.8. c.11.
b Extr. de off. ordin.c. conquerente, & de cenſibus, c. cum Apoſtolus.
c Extr. de decimis, Conſtit. Prov.eod. tit. Rebuff. tract. de decimis. q.9. plene.
d 2 Ed.6. c.13.

triplici valore & in expensis a Judice Ecclesiastico condemnetur. Item quòd si quis decimas *e* personales persolvere renuat, quòd licebit Ordinario eum convenire, & de Lucro quod acquisivit examinare quocunque modo præterquam delatione juramenti corporalis. Et *f* si quis in causâ decimarum à sententiâ definitivâ appellaverit, Judex rationabiles expensas alteri parti adjudicabit, & ad solvendum compellet, receptâ ab alterâ parte cautione, quòd eadem restituet casu quo in causa appellationis contra ipsum pronuntiatum fuerit. Denique statutum est etiam *g* quòd tàm in causis Decimarum quàm Oblationum & similium Ordinarius delinquentes non solum solvere & præstare censuris Ecclesiasticis compellat, sed etiam si contumaces perstiterint, auxilium Justitiariorum implorare possit, qui eos in carcerem conjiciant quousque sufficienter fidejusserint de præstando debitam obedientiam mandatis Judicis Ecclesiastici.

e Cap. eod.

f 32 H.8. c.7.

g 27 H.8.c.20.

SECT.

SECT. IV.

De Judicio circa Successionem in bonis defunctorum.

Judicium circa Successionem in bonis defunctorum est, cùm agitur de Testamento sive ultimâ voluntate defuncti. Vel de Legatis in testamento relictis, vel cùm de bonorum Administratione controvertitur.

SIcut Jus Ecclesiasticum de Testamentis & bonis defunctorum disponit, ita *a* Judicia Ecclesiastica de iisdem decernunt. Et primò de testamento *b* probando agitur, cùm is qui Executor institutus est, ultrò vocatis Liberis & consanguineis proximis in specie, aliisque quibuscunque in genere, aut ad propromotionem liberorum, vel consanguineorum quorum interest, super veritate testamenti testes aliasque probationes Legitimas in Curiâ producit, secundum quas Testamentum conditum vel non conditum pronunciatur. Deinde si quis *c* impedimento fuerit quo minus inventaria conficiantur, vel testamenta defunctorum adimpleantur, is cujus interest potest implorare officium Judicis, ut probatis præmissis pronuntiet delinquentem incidisse in sententiam Excommunicationis à quâ non absolvetur priusquam satisfecerit.

a 21 H.8.c.5.in fine.

b C. eod.Glanv. l.7.c.7. Bract.in lib.2.c.26.

c Constit. Prov. de donat.c.unic. Lynw. ad Constit.statutum de Testam.verb. Ecclesiast.Libert.Constit. Prov. de immunitate Ecclesiæ c.Accidit.§. quidam etiam.

Tertiò

d Extr. de Testam. c. si Hæredes.

Tertiò in *d* causa Legati agitur, cum is, cui aliquid in testamento defuncti relictum est, contra Executorem qui bonis se immiscuit, litem movet ut Legatum consequatur.

e 21 H. 8. c. 3.

Quartò de *e* Administratione bonorum defuncti controvertitur, cùm uxor vel aliquis ex liberis seu consanguineis de administratione obtinendâ contendunt, & causas pro se exponunt secundùm quas Judex decernit.

f Constit. Prov. de Testamentis, c. statutum, v. non permittunt. & v. Inhibemus & c. eod. v. effectum & ibi Lynw.

Quintò in causâ *f* temerariæ Administrationis aliquis conveniri potest, cùm sinè Judicis autoritate in bonis defuncti se intromittit, ex quo pronuntiandus est in sententiam Excommunicationis incidisse.

g 28 H. 8. c. 5. in fine. Othob. Constit. de. execut. testament. Lynw. ad c. statutum de testamentis.

Sextò *g* ad exhibendum inventarium & ad reddendum Computum agitur, cùm Executor vel Administrator bonorum defuncti, ad instantiam Legatarii, consanguinei, creditoris, vel alterius, cujus interest, ad inventarium & computum vigore juramenti interponendum, & si requisitum fuerit, per testes & instrumenta justificandum convenitur; ut, si quid supersit, debita & Legata solvantur, aut portiones Liberis & consanguineis allocentur.

SECT.

SECT. V.

De Judicio circà Contractus Ecclesiasticos, & de Judicio Contractus circa Beneficium.

Judicium circà Contractus Ecclesiasticos est, quod de Contractu aliquo Ecclesiastico instituitur. Estque vel de Contractu circà Beneficium, vel de Contractu circà fructus Beneficii, vel de Contractu Conjugali. Judicium Contractus circà Beneficium est, cùm de Compositione agitur, vel de Permutatione contenditur.

UT pauciores sunt Contractus Ecclesiastici, ita de Contractibus pauciora sunt Judicia. Quædam tamen habentur, & primùm de Contractu circà Beneficium agitur, cùm de [a] Compositione litigatur. Utpotè cùm Rector à Vicario vel Vicarius à Rectore id quod ex compositione debetur, detrahere molitur. Deindè occasione [b] Permutationis Beneficiorum lis movetur, cùm is qui alteri Beneficium cessit ut in jus ejusdem in alio Beneficio succederet, deceptus agit ne Beneficium suum alteri conferatur, vel ut ad proprium Beneficium redeat & restituatur.

[a] Rebuff. de decimis q. 13. nu. 16. & seq.

[b] Clement. de Rerum permutat. c. unic. Rebuff. in praxi Benef. de permutat. nu. 13. & seq.

SECT.

SECT. VI.

De Judicio Contractus circa fructus Beneficii.

Judicium Contractus circà fructus Beneficij est, cùm de Sequestratione vel Locatione Beneficij agitur.

PRæter Judicia de Contractibus quæ ipsa Beneficia concernunt, alia sunt de Contractibus circà fructus Beneficiorum, ut cùm occasione *a* Sequestrationis lis intentatur, ut is qui virtute Sequestrationis Beneficij fructus percepit, eorundem rationem reddere compellatur. Item cùm is qui fructus Beneficij *b* conduxit, agit ut ijsdem frui liceat; vel is qui locavit, ut mercedem habeat.

a Extr. de sequestrat. Constit. Prov. eod.
b Extr. de locato & conducto c. vestra & seq. Athon. ad Constit. ne Ecclesia ultra qninquennium v. ultra. § Juxta illud quæritur.

SECT.

SECT. VII.

De Judicio circa Contractum conjugalem.

Judicium circà Contractum Conjugalem est, in quo ad Matrimonium Constituendum, Restituendum, vel ad Dirimendum agitur.

IN causis Matrimonialibus ex quo in hujusmodi Contractibus salus animæ periclitatur, præcipuè Ecclesiæ Judicium adhibetur. Et primo ad Matrimonium constituendum agitur, cùm *a* post Sponsalia vel contractum Matrimonialem aliquis litem instituit, ut secundùm Contractum in facie Ecclesiæ nuptiæ celebrentur.

a Extr. de sponsal. c. ex Literis, c. cum locum, & c. cum Apostolica.

Item aliquando agitur ad *b* publicandum Matrimonium, cùm partes quæ clam Matrimonium contraxerunt, vocatis ijs quorum interesse potuit in Judicio probant, ut pro Matrimoniò Coutracto sententiam consequantur.

b Lanc. Instit. de clandest. desponsat. in fine

Tertiò si Matrimonium fuerit in facie Ecclesiæ solennizatum, & mulier recesserit à viro, vel vir ab uxore diverterit, agitur in causâ *c* Restitutionis obsequiorum Conjugalium.

c Extr. de Restitut. spoliat. c. ex transmissa.

Quartò contrà Matrimonium Judicium instituitur in caurâ *d* Jactitationis Matrimonij, cum quis affirmaverit se cum aliquâ Matrimo-

d L. Diffamari, C. de ingenuis manumissis.

nium contraxisse, ut in contrarium pronuntietur, & ei qui jactitavit silentium imponatur; quod si justificare voluerit, causa Jactitationis in causam Matrimonialem transit.

Quintò contrà Matrimonium etiam intentatur causa Nullitatis Matrimonij, ut Matrimonium inter aliquos de facto contractum ob *e* defectum consensus ratione minoris ætatis, *f* erroris, *g* metus, vel ob *h* præ-contractum cum alio, vel ob *i* impotentiam, vel impedimentum *k* consanguinitatis vel affinitatis nullum declaretur.

Sextò contrà Matrimonium agitur in causâ *l* Divortij propter adulterium ad separationem à mensâ & thoro, in quâ ex solâ *m* confessione partium absque alijs Probationibus sententia non est ferenda, nec priusquam pars quæ sententiam petit, *n* cautionem sufficientem interponat, quòd ad aliud Matrimonium, dùm vivit pars contrà quam Divortium obtinuit, non convolabit.

e Extr. de desponsat. in pub.
f Caus. 29. q. 1.
g Extr. de sponsal. c. cum locum.
h Extr. eod. c. fi inter.
i Extr. de frigidis.
k Caus. 35. q. 5. per totum. extr. de consang. & affi.
l Extr. de Divortijs.
m Constit. nov. c. 105.
n Constit. nov. 107.

SECT.

SECT. VIII.

De Judicio circa Delictum, & de Judicio Eccleſiaſticum, Delicti contra Pietatem.

Judicium Delicti Eccleſtaſtici eſt in quo quæritur de Delicto contrà Jus Eccleſiaſticum commiſſo, utpotè de Delicto contrà Pietatem, contrà Charitatem, aut contrà Officium Eccleſiaſticum.

Judicium Delicti contrà Pietatem eſt, in quo quæritur de Delicto quo Religio violatur, veluti de Apoſtaſiâ, Hæreſi, Schiſmate, & reliquis.

CRimen vel Delictum Eccleſiaſticum in Judicium deducitur, vel Promotione partis, vel Inquiſitione Judicis. Promotio partis eſt cùm quis aliquem de crimine *a* accuſat. *b* Inquiſitio Judicis eſt, cùm ex officio mero Judex delinquentes proſequitur. Eſtque vel *c* ſpecialis, cùm ex probabili famâ vel hominum fide dignorum relatione judex de certo aliquo Delicto inquirit; vel *d* generalis, cum in Viſitatione Oeconomis aliiſque perſonis adjunctis, qui teſtes Synodales dicuntur, jurejurando aſtrictis quælibet crimina *f* denuntiandi officium imponit, & poſteà detectiones in ſcriptis exigit. Cum verò fama duntaxat criminis probata eſt, vel quis à perſonis juratis denuntiatus, *g* Purgatiti Canonica parti

a Extr. de accuſat & inquiſitionibus Conſtit. Prov. eod. tit.
b Extr. eod. & Prov. eod.
c Extr. eod. c. qualiter.
d Extr. eod. c. ſicut.
f Extr. de accuſat & de nunt. Prov. eod.
g Ext. de purgatione Canonica per totum. Conſtit. prov. eod. tit.

reæ indicitur, id est terminus ei statuitur, in quo cum ipse juramentum de *b* innocentia præstet, tùm alij, arbitrio Judicis nominandi, de credulitate, quòd verum juramentum præstitit. Quòd si quis in Purgatione defecit, vel verè convictus sit, pro qualitate delicti pœnâ debitâ plectendus est.

Et primo quod ad Delicta attinet quæ contrà Religionem admittuntur. Qui de Apostasi *k* vel Hæresi convictus fuerit secundùm Canones Excommunicationis sententiâ innodandus est. Et sæculari potestati tradendus, & si Clericus sit, sacris etiam Ordinibus exuendus est.

Secundùm *l* statutum de crimine Hæreseos convictus tenetur Hæresin abjurare & pœnitentiam peragere proùt Ordinario visum fuerit; quòd si abjurare renuat, aut post abjurationem in Hæresin relapsus fuerit, sæculari potestati tradetur, & brevi Regio de Hæretico comburendo impetrato publicè comburetur. Iisdem pœnis Excommunicationis scilicet & Degradationis Schismatici afficiendi sunt; quod etiam *m* statuto congruit, quo ordinatum, quòd si quis Ecclesiasticum Beneficium habens, aliquid affirmaverit aut defenderit contrarium Articulis Religionis, & citatus ab Ordinario in errore perstiterit, aut post abnegationem erroris in eundem inciderit, à Beneficio penitùs amoveatur.

n Inconformitatis etiam Rei ijsdem pœnis sunt obnoxij. Quinetiam *o* Blasphemi, *p* Perjuri, *q* Sacrilegi excommunicandi, Publicæ Pœnitentiæ subjiciendi & ad satisfactionem cogendi sunt; & si Clerici fuerint, à Beneficijs

b Extr. eod. c. Quoties Constit. Prov. eod. tit. c. Item licet & ibi Lynw.
i Extr. eod. c. cum Manconella. Lynw. ad c. Presbyteri de Jurejurando § ult. v. Nequiverint.
k Extr. de Apostatis & hæreticis.
l 25 H. 8. c. 14.
m 13. Eliz. c. 12.
n 1. Eliz. c. 2. Constit. nov. c. 4. 6. 7. 8.
o Extr. de Maledicis. c. 2.
p Caus. 22. q. 1. c. ult. 5. Eliz. c. 9.
q Caus. 17. q. 4. c. 5. ext. de foro comp. c. conquestus. Lynw. ad c. 1. de immunit. Ecclesiæ. v. omnibus pœnis. & ad c. 2. eod. v. excommunicati.

ficijs ſuſpendendi. Et quod ad *r* Simoniam ſpectat, ſi quis Symoniacè ordinatus eſt, tam is qui ordinatus, quàm qui ad ordinem Promovit, eſt deponendus. Si quis Symoniacè Beneficium adeptus, ejus inſtitutio irrita cenſenda eſt, & tam is qui contulit quàm is qui recepit Excommunicationis ſententiæ ſubjiciendi ſunt. Quod etiam ſtatuto conſentaneum, quò inactitatum, quòd *ſ* ſi quis alicui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum pro pecuniâ vel mercede contulerit, admiſſio ejuſdem irrita ſit & inanis. Et quòd licebit Regiæ Majeſtati ad hujuſmodi Beneficium Clericum præſentare; & quòd is, qui Symoniacè promotus eſt, ad hoc Beneficium retinendum inhabilis judicetur. Qui verò pro mercede aliquem ad Beneficium admittit, ad duplum valoris annui ejuſdem Beneficij teneatur. Et qui ob pretium reſignaverit, ad duplum ejus quod accepit condemnetur, præter pœnas Eccleſiaſtico jure præſtitutas, quæ etiam contrà eundem executioni demandari poſſunt. Pœna *t* Prophanationis, cum loca ſacra indebitè tractentur vel deſtruantur, ſecundùm Canones eſt vel Excommunicatio vel pœna Anathematis.

r Extr. de Simonia, Conſtit. Prov. eod. tit. c. Null.

ſ 31 Eliz. 16.

t Extr. de immunitat. Eccleſ. c. cum Eccleſiæ.

Statutis etiam cavetur, quòd *u* qui divina officia peragenti vel concionem habenti moleſtus fuerit, præter pœnas Jure Eccleſiaſtico infligendas, per tres menſes incarceretur. Item *x* quòd ſi quis in Eccleſia vel Cœmeterio rixatus fuerit aut objurgaverit, ſi Laicus fuerit, ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendatur; ſi Clericus, ab executione officij quamdiu Ordinario viſum fuerit.

u 1. Mariæ ſeſſ. 2. c. 3. 1. Eliz. c. 2.

x 5 & 6. Ed. 6. c. 4.

Si verò alium percusserit, vel in alium violentas manus injecerit, ipso facto Excommunicatus habeatur. Consimili *y* Ordinatione prospectum, quòd liceat omnibus qui Jurisdictionem Ecclesiasticam obtinent inquirere de singulis qui dies jejunijs & divinis officijs destinatos non observaverint, & punire delinquentes censuris Ecclesiasticis, & pœnitentiam ijdem injungere prout visum fuerit.

y 5 & 6 Ed. 6. c. 3.

Item si Ecclesiæ dilapidentur & in ruinam dilabantur *z* ad reparationem earundem qui ad id tenentur, arbitrio Judicis compellendi sunt.

z Constit. Prov. de offic. Archidiac. c. ult. & ibi Lynw. v. sub pœna. Constit. de Ecclesiis ædific. c. statuimus. & ibi Lynw. v. Inquisitio.

a Violatores etiam libertatum & privilegiorum Ecclesiasticorum sententiam Excommunicationis ipso facto incurrunt, & Universitates Interdicto Ecclesiastico subjiciuntur.

a Cauf 17. q. 3. c. miror. & seq. extr. de Immunit. Ecclesiæ & Prov. c. eod

b Ob Defectus etiam in divinis officijs frequentandis præter pœnam duodecem denariorum pro absentiâ quâlibet vice irrogandam, præcipitur etiam ijs qui Ecclesiasticæ Jurisdictioni præsunt eos qui negligunt ad Ecclesias Parochiales aut capellas usitatas quolibet die Dominico & festo accedere, & ibi per totum tempus divinorum & concionis habendæ cum reverentiâ permanere, per censuras Ecclesiasticas corrigere & coërcere. Denique contrà eos qui decimas aut alia propter divina officia debita detinuerint, tanquam contrà delinquentes criminaliter procedi potest, & coërcitio Ecclesiastica exerceri.

b 1. Eliz. c. 2. 5. & 6. Ed. 6. c. 1.

SECT.

SECT. IX.

De Judicio Delicti contra Charitatem.

Judicium Delicti contra Charitatem est quod instituitur ad puniendum Incontinentiam, Ebrietatem, Usurariam pravitatem, Calumniam & similia.

PRæter Judicia quæ instituta sunt de Delictis contra Pietatem, alia sunt in quibus agitur ad coërcendum Delicta contra Charitatem. Et primò *a* Incontinentiæ crimini Publica pœnitentia præstituta est, quæ pro qualitate Delicti, fornicationis scilicet, adulterij, vel incestus, leviùs vel graviùs imponitur. Excommunicatione etiam vel alijs pœnis aliquando coërcetur. *b* Lenocinium quoque eâdem pœnâ, quâ crimen cui assistit est plectendum.

Ebrietatis rei arbitrio Judicis puniendi sunt; & *c* Usurariæ pravitatis convicti Excommunicationi subjiciendi sunt quousque satisfecerint, vel de restitutione faciendâ cautionem interposuerint.

Calumniæ vel diffamationis crimen quandoque Excommunicationis sententiâ, quandoque reclamatione verborum vindicatur. Atque hæc omnia cùm à *e* Clericis committuntur graviùs puniuntur: Qui etiam si in ijs delinquunt quæ ad decorum Ordinis spectant, pro mo-

a Abbas. & D. D. ad c. ut cleric. extr. de vita & honest. Cler.

b l. Auxilium d. de minor. Lynw. ad c. Item licet de purgat. Canon. v. simili crimine.

c Extr. de usuris 37. H. 8. c. 9.

d Constit. Provin. de sententia excommunicationis. c. 1. v. malitiosè crimen.

e Extr. de vita & honest. clericorum. Constit. Prov. eod.

do delicti, suspensione, vel deprivatione puniendi sunt.

f Irregulares verò nec ad Ordines promoveri, nec in susceptis Ordinibus administrare permittendi sunt; & *g* Incorrigibiles post depositionem & Excommunicationem, sæculari potestati tradendi sunt.

f Lyndw ad c. Inpr. de tempor ordinand. v. irregulares

g Idem ad c. statuimus de pœnis. v. adjudices.

SECT. X.

De Judicio Delicti contra Officium Ecclesiasticum.

Judicium Delicti contra Officium Ecclesiasticum est in quo quæritur de Delictis contrà Officium commissis.

DElictis etiam quæ contrà Officium sunt admissa in Judicio Ecclesiastico pœnæ irrogantur. Et primo si Prælati in ijs peccent quæ ad solicitudinem pastoralem pertinent, ut si *a* alienos subditos ad ordines promoveant; Si extrà *b* statuta tempora aliquem ad Sacros Ordines admittant, à potestate conferendi ordines à superiore suspendendi sunt. Item si aliquem ordinaverint qui *c* titulum Canonicum non habet, cogendi sunt eidem de omnibus necessarijs providere, donec ad Beneficium aliquod Ecclesiasticum promotus fuerit, vel ab Archiepiscopo assistente alio Episcopo

a De tempor. ordinand. in 6. c. 2.

b Extr. eod. c. cum quidam.

c Extr. de Præbendis c. cum Episcopus. Conflit. nov. c. 33.

Episcopo à potestate ordinandi per unum annum suspendendi sunt, & sic in similibus.

Deindè quòd ad Delicta quæ circa animarum curam committuntur attinet, si quis, ubi divinâ peragere tenetur, omninò renuit, in causâ subtractionis divinorum conveniri potest. Item pro *k* omissione divinorum & indebitâ executione eorundem pœnis in Canonibus præstitutis coërcendus est. Et ad tuendum ordinem & ritus præscriptos, statuto cautum, *l* quòd si quis Rector aut Vicarius cujus officio incumbit preces publicas legere, aut Sacramenta ministrare, peragere recusaverit, prout in Liturgiâ Præscriptum est; præter pœnas incarcerationis aliasque statuto sancitas; omnes Archiepiscopi, Episcopi, aliique Jurisdictionem Ecclesiasticam exercentes plenam potestatem habeant per censuras Ecclesiasticas delinquentes corrigere, punire, & reformare. Præterea Constitutionibus Provincialibus ordinatum est, quod si Rector aut Vicarius officium in *m* Cathechizando neglexerit, post monitionem, primo suspensionis, deinde Excommunicationis sententiam subeat; si *n* absque bannis vel Licentiâ inter aliquos matrimonium solennizaverit, per triennium ab officio ipso facto, si *o* infantes baptizare, vel mortuos sepelire, per tres menses suspendatur. Si in *p* privatis ædibus extra casum necessitatis sacram Communionem exhibuerit, pro primâ vice, suspensionis, pro secundâ excommunicationis sententiâ, innodetur. Alia Ordinarij arbitrio relinquuntur. Præterea si quis non resideat, ei terminus à Judice statuendus est infra quem ad

k Extr. de Celebrat. missarum c. Dolentia.

l Eliz. c. 2.

m Constit. nov. c. 59.

n Constit. nov. 62. & 63.

o Constit. nov. 68. 69.

p Constit. 71.

d Extr. de cleticis non residentc. Relatum. & c. ex parte.

ad beneficium revertatur, quo elapso, si omninò sine causâ rationabili sui copiam non faciat, beneficio privari potest.

e 21 H. 8. c. 13. Statutis etiam ordinatum, ut qui *e* beneficio ultrà spatium unius mensis continuum vel duorum mensium diversis temporibus in eodem anno abfuerit, nec in alio beneficio resederit pro quolibet defectu decem libris mulctetur.

f 13 Eliz. c. 20. Item quòd si quis *f* beneficium curatum locaverit, & ultra octoginta dies in uno anno se absentaverit, locatio sit irrita, & incumbens fructus unius anni amittat, inter pauperes per Ordinarium distribuendos.

Item si quis partem Ecclesiæ quæ ab ipso reficienda est, vel domicilia ad beneficium pertinentia in ruinam vergere patiatur, Judicium *g* dilapidationis instituitur, quo post monitionem per sequestrationem fructuum ad reparationem compellendus est. Vel si defunctus fuerit, contra Executorem, vel alium qui successerit in bonis, ad eundem finem lis intentatur. De quâ causâ etiam *b* statuto ordinatum, ut actus in fraudem eorum, qui in beneficijs succedunt, gesti, irriti sint & inanes; & quod *i* pecuniæ recuperatæ in reparationem ædificiorum impendantur.

g Constit. Prov. c. de offic. Archid. c. ult.

h 13 Eliz. c. 10.

i 14 Eliz. c. 11.

DE-



DESCRIPTIO
JURIS & JUDICII
TEMPORALIS
SECUNDUM
CONSUETUDINES
Feudales & Normannicas.

INDEX CAPITUM.

PARS PRIMA.

Sectio

1. DE *Jure Temporali.*
2. *De Personis Temporalibus, & de Domino supremo.*
3. *De Dominis intermediis.*
4. *De Plebe temporali.*
5. *De Rebus temporalibus, & de Dominico temporali.*
6. *De Feudo Nobili.*
7. *De Feudo Plebeio.*
8. *De Officiis temporalibus, & de Officio Domini supremi.*
9. *De Officio Dominorum inferiorum.*
10. *De Officiis Plebis temporalis.*

PARS

PARS SECUNDA.

Sect.
1. *De Negotiis temporalibus, & de Creatione feudi.*
2. *De Acquisitione Temporali, & de Acquisitione Feudi.*
3. *De Acquisitione Juris in feudo.*
4. *De Acquisitione Rerum mobilium.*
5. *De Contractu temporali, & de Contractu circa feudum.*
6. *De Contractu de Jure in feudo.*
7. *De Contractu de Re mobili.*
8. *De Delicto temporali, & de delicto contra Fidelitatem.*
9. *De delicto contra Pacem.*
10. *De delicto contra Officium temporale.*

PARS

PARS TERTIA.

Sect.
1. *De Judicio temporali.*
2. *De Curiis temporalibus, & de Curiis Domini ſupremi.*
3. *De Curiis Dominorum ſuperiorum.*
4. *De Curiis Dominorum inferiorum.*
5. *De Cognitione temporali, & de Cognitione per Judicium Parium.*
6. *De Cognitione per Duellum.*
7. *De Cognitione per Purgationem Sacramentalem.*
8. *De Coërcitione temporali, & de Coërcitione circa bona.*
9. *De Coërcitione circâ ſtatum.*
10. *De Coercitione circa corpus.*

PARS QUARTA.

Sect.

1. *De Judicio circa negotia temporalia in specie, & de judicio circa creationem feudi.*
2. *De Judicio Acquisitionis temporalis, & de Judicio Acquisitionis feudi.*
3. *De Judicio Acquisitionis Juris in feudo.*
4. *De Judicio Acquisitionis rei mobilis.*
5. *De Judicio Contractus temporalis, & de Judicio Contractus circa feudum.*
6. *De Judicio Contractus de Jure aliquo in feudo.*
7. *De Judicio Contractus de re mobili.*
8. *De Judicio Delicti temporalis, & de Judicio Delicti contra Fidelitatem.*
9 *De Judicio Delicti contra Pacem.*
10 *De Judicio Delicti contra Officium temporale.*

DE-

DESCRIPTIO
JURIS & JUDICII
TEMPORALIS
SECUNDUM
CONSUETUDINES
Feudales & Normannicas.

PARS PRIMA.

SECT. I.

De *Jure Temporali.*

Jus Temporale est quod in Communione seculari secundum Consuetudines & Leges temporales observatur. Communio secularis est quæ bona hujus vitæ respicit, & Fidelitate & Pace

Sustinetur. Fidelitas est obligatio, ex quâ ob protectionem subditi dominis pro viribus auxilium debent, Pax est vinculum quo tenentur subditi se invicem non ladere. Consuetudines sunt mores & usus antiquitùs recepti. Leges sunt jura scripta, publicâ autoritate promulgata. Quæ primùm circa personas, res & officia temporalia in genere, deindè circa negotia temporalia in specie versantur.

POstquam in Imperio Religio Christiana adolevit, unà cum Republicâ crevit Ecclesia, & pro cujusque diverso fine distincta etiam communio introducta est, secularis scilicet, & sacra. E quibus, communio secularis hujus vitæ bona respicit, & Fidelitate & Pace sustinetur. Nam cùm de Jure Romano inter Magistratus & subditos, Reipublicæ rectam inituro obligatio intercederet, postquam exemplo Regum Longobardorum Imperatores Romani terras in feudum concesserunt inter dominos & vasallos ob beneficium ipsis ac familiæ datum arctius vinculum constituebatur, undè pro obedientiâ quam generaliter subditi majoribus debent introducta est *a* Fidelitas, quâ vasalli ad ea omnia præstanda, quæ ad dominorum dignitatem, incolumitatem, aut commodum spectant devoto quasi affectu se astringunt. Deindè post fidelitatem domino debitam præcipuè requiritur observatio *b* Pacis, quâ subditi & vasalli tenentur sese erga alios innocuos gerere: atque ad hæc tuenda, ea quæ sunt juris naturalis omnino conveniunt, & ea quæ sunt Juris gentiū propemodum inserviunt.

a Feud. l. 2. tit. 6. 7.

b l. 2. tit. 27.

Sed

Sed & multa præterea ab institutis civilibus Reipublicæ Romanæ aliena comperta sunt, quæ cujusque regni moribus & legibus constituuntur: ita sub imperio Romano antiquissimæ fuerunt *c* Consuetudines Mediolanenses, sivè usus qui in libris feudorum referuntur. Deinde leges fuerunt quæ ab *d* Imperatoribus Lothario, Frederico & alijs cum consilio Episcoporum, Ducum, Marchionum, Comitum etiam & Palatinorum, Judicum, & aliorum Procerum edebantur, in quibus si aliquid defuit, ad jus civile recurrere fas erat. Nam etsi *e* Leges Romanæ non adeò vim suam extendunt ut usus vincant aut mores, Peritus tamen legum, sicubi casus emerserit qui Consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumniâ Lege scripta uti potest. Iisdem regulis, Consuetudinis scilicet & Legis, Jus Normannorum continetur, in cujus descriptione *f* consuetudo dicitur quòd antiquitùs à Principibus approbatum & à Populo observatum est. Leges sive jus scriptum sunt *g* statuta quæ *h* Duces cum consilio Prælatorum, Baronum, & Burgensium condiderunt. Atque hæ consuetudines scilicet & Leges primùm ad Personas, res & officia temporalia in genere; deindè ad negotia temporalia in specie referuntur.

c Feud. l. 1. 2.

d Feud. l. 2. tit. 52. & tit. 55.

e Feud. l. 2. tit. 1.

f Cust. c. 11.

g Præfat. Cust. Gallic.

h Comment ad Prologum Cust.

SECT. II.

De Personis temporalibus, & de Domino supremo.

Personæ temporales sunt qui in communione temporali versantur. E quibus alius Dominus supremus est, alij Domini intermedij sunt, alij Plebem temporalem constituunt. Dominus supremus Rex est, qui intra Regnum in rebus temporalibus summam potestatem habet.

Secundùm consuetudinem feudorum, expulsis Regibus Longobardorum, *a* Imperator supremus Dominus erat, utpote qui *b* supremam Jurisdictionem vel potestatem habuit, nimirum ferendi Leges, statuendi de moneta, nec non cognoscendi de causis Capitalibus quòd Jus gladij dicitur, & similia. Fidelitas verò quæ isti debetur à Feudistis *c* Ligeantia dicitur, & quotquot intra imperium degunt Ligij appellantur, qui non solum propter res sed etiam propter personas & eorum protectionem domino supremo obligantur.

a Feud. l. 2. t. 55.
b Class. ad Consuet. Burg. § des Jus suis.
c Duar. ad Consuetud. c. 4. nu. 6.

De Consuetudine Normanniæ, Dux sive Rex, postquam Ducatus Regiæ coronæ unitus erat, Dominus supremus existit, *d* qui totius Ducatûs tam Principatum quam dignitatem obtinet, *e* qui solus habet plenam Jurisdictionem, *f* ad quem etiam omnis potestas monetæ pertinet, item de mensuris & pon-

d Cust. c. 12.
e ibid.
f Cust. c. 13. & 14.

ponderibus ſtatuere, pro abundantia vel caritate pretium rebus imponere. *g* Unde etiam omnes homines totius provinciæ ipſi Ligeantiam debent, ex quo ei tenentur contra omnes qui vivere poſſunt & mori in ſuis perſonis conſilium & auxilium præbere. Et ei tenentur omnes Reſidentes Provinciæ Fidelitatem facere & ſervare, id eſt ſe ei innocuos in omnibus & fideles exhibere, nec aliquod incommodum ipſi procurare, nec ejus manifeſtis inimicis contra ipſum conſilium vel auxilium dare.

g Cuſt. 13. & 14.

SECT. III.

De Dominis intermedijs.

Domini intermedij ſunt qui ſub Domino ſupremo ſupra alios in temporalibus poteſtatem habent, ſique vel Illuſtres ut Prælati & proceres regni, qui ampliorem, vel Nobiles ut Domini alij, qui Juriſdictionem anguſtiorem habent.

SUb Imperatore in Imperio Romano alij Domini erant ſuperioris ordinis ut Archiepiſcopi & Epiſcopi, nec non Duces, Marchiones, & Comites qui Capitanei vel majores valvaſores inſigniti ſunt, qui cum dignitate Juriſdictionem majorem obtinebant, aliquando ſupremam, ut plurimum

a Feud. l. 1. tit. 1.

b Class. ubi supra.

mediam prout à feudistis appellatur, ad quam spectat de causis civilibus & criminalibus, quæ Capitales non sunt, cognoscere. Alij erant ordinis inferioris ut Regis valvasores vel minores valvasores qui *c* Jurisdictionem infimam habuerunt, ex qua de causis pecuniarijs minoribus cognoscere, delinquentes capere, & levioribus supplicijs coërcere potuerunt.

c ibid.

d Le stile de proceder en pays de Normandie de Haults justice.

Sub Duce Normanniæ itidem *d* alij Domini Jurisdictionem supremam à Principe concessam habent. ex qua cognoscere possunt de omnibus causis tam civilibus quam criminalibus quæ in eorem territorijs contingunt, & de ijsdem justitiam facere, præterquam de causis quæ Ducis dignitatem concernunt.

e ibid.

e Alij mediam & infimam Jurisdictionem obtinent qui causas circa hæreditamenta contingentes inter ipsos & vasallos suos, & controversias circa res mobiles inter alios qui intra eorum territoria degunt judicandi potestatem habent.

f Cust. c. 16.

f Idem in suis villis mensuras potus & bladorum possunt capere, & si falsas invenerint emendare, antequam Justiciarius Principis ijs manum apposuerit.

SECT.

SECT. IV.

De Plebe temporali.

Plebs temporalis sunt homines qui sub Dominis alijs sine auctoritate degunt, è quibus alij speciali ratione ad Dominos referuntur quòd sub ijs feuda tenent, alij generali tantùm respectu, quòd intra eorum territoria constituti eorum Jurisdictioni subjiciuntur.

IN Libris Feudorum vasalli infimi ordinis qui nec dignitatem nec Jurisdictionem aliquam feudum tamen obtinebant, *a* valvasores minimi & *b* valvasini appellabantur, qui verò feuda non habuerunt sed in villis Dominorum degebant quoad Jurisdictionem subditi simplicitèr habebantur.

a Feud. l. 1. tit. 7. & 15.
b Feud. l. 2. tit. 10.

De Consuetudine Normanniæ terras habentes, *c* homines & tenentes, reliqui, incolæ sive *d* Residentes & vicini nuncupati sunt.

c Cust. c. 12. & 83.
d Cust. c. 14.

SECT. V.

De Rebus temporalibus, & de Dominico temporali.

Res temporales sunt quæ temporalibus usibus deserviunt, Eæque aut immobiles ut Prædia & Commoda prædiis annexa, aut mobiles ut pecunia, & bona. E quibus præcipuè spectantur quæ dominicum temporale, feudum nobile vel feudum ignobile constituunt. Dominicum temporale sunt possessiones & jura quæ ad Dominum supremum pertinent.

CUM de Jure Civili res immobiles perinde ac res mobiles in pleno dominio essent, ut dominus de iis pro arbitrio disponere posset, usibus feudorum introductum est, ut alia in pleno dominio, alia sub titulo utilis dominii haberentur: prioris generis erat *a* Allodium, id est, possessiones & jura quæ ita tenebantur ut pro iis neque gratia neque merces neque opera ulla deberetur: Posterioris erat *b* feudum quod ex benevolentia ita dabatur alicui ut proprietas rei penès dantem remaneret, usus fructus ad accipientem ejusque hæredes pertinerent; ad hoc, ut ille & ejus hæredes domino fidelitèr servirent. Præter hæc ad Communionem temporalem pertinent res etiam mobiles, ut pecunia, animalia, & similia, quæ Juris temporalis dispositioni permittuntur.

a Hotoman. in v. Allodium.

b Feud. l. 2. tit. 23

mittuntur. De Consuetudine Normanniæ etiam possessiones in Immobiles & mobiles distinguuntur, & immobilis est *c* feodum sive hæreditas quæ ab aliquo possessa de loco in locum tranſmoveri non potest. Mobilis est quæ de loco in locum potest trasmoveri, & vulgariter Catallum nuncupatur. *c* Cust. c. 87. & 92.

Ad Dominicum temporale quod attinet, in libris Feudorum inter alia comprehendit Palatia in civitatibus consueta, vias publicas, flumina navigabilia, vectigalia, piscationum & venationum reditus, bona condemnatorum & proscriptorum, mulctarum pœnarumque compendia, & similia, quorum pleraque Jurisdictionem comitantur. Feud. l. 2. tit. 56.

De Consuetudine Normanniæ præter possessiones Ducis proprias ad ejus dominicum spectant Thesaurus quocunque loco inventus, Cust. c. 18. Res vaivæ sive derelictæ, quas, cum inveniuntur, nemo vendicat, verisçum sive wrecum quod mare ad terram projicit, pro qualitate delicti terræ seu feoda damnatorum, & forisfacturæ bonorum mobilium. Cust. c. 19. Cust. c. 17. & 21.

SECT.

SECT. VI.

De Feudo Nobili.

Feudum nobile est feudum superius cui alia feuda subjiciuntur, Estque vel amplius, cui jura sive commoda majora competunt; vel angustius, quod jura minora obtinet.

SEcundum usus feudorum feuda alio nobiliora fuere & ampliora, quibus jura quædam regalia, & majora concessa sunt; unde ex iis aliqua *a* Regales dignitates & regalia feuda insigniebantur; & inter hæc habebantur *b* Prædia Archiepiscopis & Episcopis in feudum data, Ducatus, Marchionatus & Comitatus; alia fuerunt etiam nobilia sed minus ampla, quibus privilegia aliqua annexa sunt, ut *c* valvasoriæ majores.

a Feud. l. 1. tit. 14 & l. 2. tit. 34.
b L. 2. tit. 40. & 10.
c Ibid.

Ita etiam secundum consuetudinem Normanniæ quædam feuda nobiliora sunt, ut quæ *d* Episcopis & Ecclesiis concessa sunt, item *e* Comitatus & Baroniæ; quædam nobilia ut feuda militaria: *f* quæ omnia, prout Principi placuit, jus acquirendi Thesaurum repertum, Res vaivas, verisicum, forisfacturas, & Emendas sive mulctas delinquentibus impositas habere consueverunt.

d Cust. c. 32.
e C. 34.
f C. 19, 20. & 16.

SECT.

SECT. VII.

De Feudo Plebeio.

Feudum plebeium eſt quod ad perſonas plebeias pertinet, quod nec alia ſub ſe habet, nec privilegiis ullis gaudet.

INter feudorum Interpretes feudum ignobile ſive ruſticum habetur quod feudo nobili ſubjicitur, nec ſub ſe feudum admittit, nec prærogativam aliquam annexam habet, Et de jure antiquo *a* ad Libitum domini tenebatur; ita ut domino, quando voluit, auferre licuerit, niſi vaſallus cum illo in exercitu perrexiſſet, vel aliquod propter feudum dediſſet; tunc enim, niſi reſtituto pretio, auferre non licebat. Et in conſuetudinario Normanniæ tale cenſetur *b* feodum infimum quod in burgis vel civitatibus, vel ruri aut in villis ruſticis tenetur. Et quæ ſunt generis poſterioris, *c* alia clauſa, alia communia habentur, clauſa ſunt quibus ſeorſim, communia quibus promiſcuè cum aliis tenentes utuntur. Nam *d* quædam terræ quodam tempore ſunt defenſivæ, quodam communes; Defenſivæ ſive clauſæ ſunt terræ cultæ, quarum fructus per beſtiarum acceſſus facilè perderentur, ſed & terræ vacuæ à medio Martij uſq; ad feſtum ſanctæ Crucis in Septembri defenduntur, alio tempore ſunt communes, ita ut animalia ſine paſtore per eas errare poſſint; exceptis capris, porcis, & animalibus noxiis quæ omni tempore cuſtodiri debent.

a Feud. l. 1. tit. 1. in fine, & tit. 7.

b Cuſt. c. 28. & 53.

c Cuſt. c. 8.

d Ibid.

SECT.

SECT. VIII.

De *Judicio Delicti temporalis, & de Judicio Delicti contra Fidelitatem.*

Officia temporalia sunt munera personalia & realia quæ ob commoda temporalia præstanda sunt à Domino Supremo, à Dominis intermedijs, & à Plebe temporali. Officium Domini Supremi est inter subditos ea qua ad Pacem & Justitiam spectant præstare.

Feud. l. 2. t. 27. & tit. 52.

IN communione temporali commoda propter officia constituta sunt. Et primò in Jure feudorum ad officium Imperatoris spectare declaratur, Dignitatem imperij tueri, leges in suo vigore retinere, quibuscunque personis jus suum conservare, & pacem per universas regni partes stabilire.

b Cust. c. 12.

Ita ad *b* Ducem Normanniæ pertinet Patriæ pacem tueri, æquitatis lineâ contentiones singulas terminare, & virgâ Justitiæ populum coërcere.

SECT.

SECT. IX.

De Officio Dominorum inferiorum.

Officia Dominorum inferiorum ſunt ſervitia & auxilia, quæ à Dominis inferioribus Domino ſupremo pro feudis exhibenda ſunt; eaque vel Nobiliora, quæ à Prælatis & Proceribus regni debentur, vel nobilia quæ ab alijs qui etiam feuda nobilia obtinent.

IN libris feudorum etſi non apparet certa ſervitia & auxilia pro feudis fuiſſe conſtituta, *a* pro Nobilium tamen officio habebatur Principem (Guerram, id eſt, bellum alicui facientem) adjuvare, & ad fælicem regalis numinis expeditionem collationem extraordinariam facere. *a* Feud. l. 2. tit. 28. & tit. 36.

De Conſuetudine verò Normanniæ tam pro nobilioribus quam pro Nobilibus feudis certa ſervitia inſtituta ſunt, *b* Epiſcopi autem & aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ, quæ terras in puram & perpetuam Eleemoſynam conceſſas habent, ad aliud non tenentur niſi pro Principe orare, & precibus pro ejus ſalute apud Deum intercedere At, qui *c* Comitatus obtinebant ad Liberam Sergenteriam tenentur, id eſt obſequium aliquod vel officium honorificum circa perſonã Principis *b* Cuſt. c. 13. *c* Cuſt. c. 13.

cipis obire, veluti Ensem in die Coronationis præferre, Cubicularij aut alterius officiarij munus sustinere. Deinde *d* Milites qui feuda Loricæ, id est militis Cataphracti, sive Equitis armati obtinent, tenentur ad subsidium terræ, vel cum Princeps ad aliquam Expeditionem proficiscitur per triginta dies cum equis & armis adesse, & eundem comitari. Qui utriusque generis feuda habent, *e* Auxilia etiam Capitalia præstare debent: Quæ sic dicuntur quia Dominis capitalibus sunt reddenda. Quæ tria sunt, primum ad primogenitum filium Domini sui in ordinem militis promovendum; secundum ad Primogenitam Domini filiam maritandam; Tertium ad corpus Domini sui de Prisona redimendum. Primogenitus autem est ille qui Primogenituræ obtinet dignitatem; & idem intelligendum de auxilio maritali; & Redemptionis Auxilium tunc debetur, cùm Domini corpus ex prisona hostium Ducis Normanniæ liberatur.

d Cust. c. 24.

e Cust. c. 35.

SECT.

SECT. X.

De Officiis Plebis temporalis.

Officia Plebis temporalis ſunt ſervitia & onera quæ infimis ſubvaſallis pro feudis incumbunt.

DE Jure feudali etiam [a] Inferiores vaſalli cum Dominis in exercitu pergere, vel hoſtenditias, id eſt, in hoſtem pergentibus certa adjutoria præſtare conſueverunt.

[a] Feud. l. 2. tit. 40.

Et de Conſuetudine Normanniæ qui feuda ignobilia tenent, ad aliquod ſervitium non nobile obligati ſunt. Ita [b] qui Domos in civitatibus habent per Burgagium id eſt per ſervitium, aliquid ſecundum conſuetudinem civitatis præſtandi; qui prædia rure obtinent, alij per ſommagium, id eſt certam pecuniæ ſummam ſive reditum, alij per Bordagium aut Villenagium, id eſt per opera ſervilia, utpote faciendi fœni, ſtercorandi terram, & ejuſmodi, ſuis feudis potiuntur.

[b] Cuſt. c. 28. & c. 78.

DE-

DESCRIPTIO
JURIS & JUDICII
TEMPORALIS
SECUNDUM
CONSUETUDINES
Feudales & Normannicas.

PARS SECUNDA.

SECT. I.

De Negotiis temporalibus, & de Creatione feudi.

Negotia temporalia sunt quæ circa res temporales oboriuntur, cujusmodi sunt Creatio vel Constitutio feudi, Acquisitio, Contractus, & Delictum temporale. Creatio vel Constitutio

feudi est cum aliquòd in feudum conceditur Infeudatione, scil. vel Subfeudatione.

AD jus temporale spectant etiam negotia quædam specialia, utpote primùm constitutio vel creatio feudi, quæ fit infeudatione & subfeudatione. Infeudatio est, cum aliquid in feudum primariò conceditur, quod secundum consuetudines feudales præcipuè *a* ab Imperatore vel Rege fiebat; & *b* Feuda nobiliora sive regalia ab eo solo concedi potuerunt. Secundò etiam à Dominis intermediis feudum concedebatur; *c* Archiepiscopi enim & Episcopi de iis, quæ antiquitùs in feudum dari consuevernnt, feudum instituere potuerunt; Item *d* Duces, Marchiones, Comites, & minores valvasores. *e* In feudum autem dari potuerunt Res immobiles, ut res soli, res solo cohærentes, & quæ inter immobilia numerantur. Et modus, quo quis in feuda primùm instituitur, *f* Investitura dicitur; quæ fiebat, cùm hasta, vel aliquid corporeum à Domino feudi se Investituram feudi facere profitente feudatario porrigeretur; *g* sine qua, etiamsi feudum regulariter constitui non potuit, si quis tamen rem aliquam ut feudum per triginta annos possedisset, Præscriptione se tueri potuit. Et tempore Investituræ vasallus juramentum fidelitatis præstare debuit sub hujusmodi forma; *b* Ego Titius juro super sancta Dei Evangelia quod ab hac hora usque ad diem ultimum vitæ meæ ero fidelis tibi contra omnem hominem: & si Dominus esset intermedius, cum hac clausula contra

a Feud. l.1. tit. 14. & l.2. tit.10.
b Gotofr. ad tit. 14.
c Feud.l. 1.tit.1.
d L.1.tit.1.
e Feud.l.2.tit.1.
f Feud.l.2. tit.1.
g Feud. l. 1. tit. 25. & lib.2.tit. 26.
h Feud.l.2.tit.7.

contra omnem hominem, excepto Imperatore. Subfeudatio vero erat, cum de feudo proprio feuda inferiora constituerentur.

De Consuetudine Normanniæ, quod ad Institutionem feodorum spectat, *i* Quæ à Duce vel Principe instituuntur, Capitalia dicuntur, quòd in capite teneatur. Feoda verò infima quæ ab aliis eriguntur feoda *k* Supposita nuncupantur. Et qui ad feodum nobile admittitur *l* Homagium præstat, id est juramentum hujusmodi suscipit. Ego vester homo devenio ad præstandam vobis fidem contra omnes; quod fit expansis manibus illius qui homagium facit inter manus illius qui homagium recipit. Nemo verò fidelitate alicujus recipere debet nisi salvâ Principis fidelitate.

i Cust. c. 34.

k Ibid.

l Cust. c. 25. & 29.

SECT. II.

De Acquisitione Temporali, & de Acquisitione Feudi.

Acquisitio temporalis est qua res secundum jus temporale acquiruntur; Estque vel feudi, vel juris alicujus in feudo, vel rei alicujus mobilis. Acquisitio feudi est cum feudum ipsum acquiritur, quod fit vel ex donatione, cum quis jus suum in feudo ad alium transfert, vel ex successione quando feudum vacans ad hæredem vel successorem devolvitur.

AB institutione vel creatione feudi jus alicui primariò acquiritur, sed & aliis modis ad alios transit, & primò secundum consuetudines feudales cum quis alteri jus suum in feudo concederit. Nam *a* si feudum integrum transferre vellet, cum licentia domini permittebatur; ita tamen si secunda persona esset talis qui feudo servire posset; ut si miles militi donaret, & si sub iisdem conditionibus donaretur; unde qui habuit sibi & hæredibus masculis, alteri dare non potuit, ut fœminæ in eo succederent. Deinde, *b* cùm quis feudum resutavit vel *c* inhabilis propter ingressionem religionis factus fuit, vel denique mortem obiit, hæres in feudo succedebat.

a Feud. l. 2. tit. 34.

b Feud. l. 2. tit. 41 ubi Gotofred.

c L. 2. tit. 26. § Clericus.

Quoad

Quoad succeſſionem verò *d* Alia feuda indi- *d* Feud.l.1.tit.8.
vidua erant, alia dividua. Individua erant, in quibus Primogenituræ ratio habebatur, cujus conditionis erant Ducatus, Marchionatus & Comitatus, & alia ſecundum cujuſq; Provinciæ morem. *e* Reliqua erant Dividua, *e* Ibid.
in quibus filii æqualiter ſuccedebant; nec *f* *f* L.1.tit.8.
pater quod filij in iis inæqualitèr ſuccederent, per Teſtamentum ordinare potuit. In ſucceſſione verò ordo imprimis obſervabatur. Et *g* mortuo eo qui beneficium vel feudum tene- *g* L.2.tit.11.
bat, prima cauſa erat liberorum maſculorum: filiis enim exiſtentibus maſculis, vel ex filio nepotibus, vel deinceps per maſculinum ſexum deſcendentibus, reliqui agnati removebantur. Ad filias verò vel neptes ſucceſſio non pertinebat, niſi ſub ejuſmodi conditione conceſſum eſſet. *h* Liberis maſculis deficien- *h* Ibid.
tibus, vocabantur primò fratres, deinde agnati ulteriores, ſi Feudum paternum eſſet, hoc eſt, ſi fuit illius qui ejus agnationis communis parens erat. Nam *i* ſi unus ex fratribus *i* Feud.l.1.tit.1.
feudum à Domino acceperat, alter ei non ſuccedebat, niſi hoc nominatim dictum eſſet; ſed & *k* in feudis Fœmininis, tunc demum *k* L.1.tit.8.
ſuccedebat filia cum filii non extarent, nec *l* *l* L.2. tit.50.
Aſcendentes, ut patres, filiis ſuccedebant. Præterea, ut ſuccederent in feudo, liberos & agnatos *m* legitimos eſſe oportebat. Nam *m* L.2. tit.26.
naturales filii, etiamſi poſteà legitimi fierent, & Naturalis.
ad ſucceſſionem feudi nec ſoli, nec cum aliis admittebantur. Denique *n* ſi quis deceſſit, *n* L.2.tit.86.
nullo hærede in feudo relicto, jus feudi ad Dominum revertebatur, quemadmodum etiam ſi crimen aliquod gravius contra Do-

minum commisisse condemnatus fuerit.

De consuetudine Normanniæ iisdem modis acquiritur feudum, cum feudatarius feudum alii tradat vel donet, & cum religionem intrat vel decedat, in quibus casibus successioni
o Cust. c. 25. locus est. *o* Quædam successio est ex gratia, quædam hæreditaria esse dicitur. Ex gratiâ, quando Episcopus vel Abbas in feudo quod Predecessor ejus tenuit, in ejus locum per gra-
p Ibid. tiam suffectus est. *p* Hæreditaria est successio quando aliquis succedit in feudo ratione sanguinis; estque directa, vel indirecta: Directa quando hæreditas in linea directa Consanguinitatis ad filium, profilium, vel aliquem alium ejusdem lineæ descendit. Indirecta est, quando aliquis extra rectam lineam succedit,
q Cust. c. 26. ut frater fratri, nepos avunculo. Sed *q* hæreditas alia est impartibilis, alia partibilis: Impartibilis, in qua consuetudo Patriæ nullam divisionem inter fratres admittit, ut Comitatus, Baroniæ, & feuda militaria; quæ Feuda Loricæ dicuntur; in quibus Primogenitus succedit; vel, si is prior decesserit, ejus filius vel hæres propinquior in eadem linea: si verò nullus de linea Primogeniti remanserit filius, secundo-genitus vel ejus lineæ propinquior hæ-
r C. eod. res; & sic deinceps in aliis lineis. *r* Hæreditas partibilis est, quæ ad plures æqualitèr descendit, ut feuda nobilia, quando hæreditas ad mulieres ex defectu hæredis masculi devolvitur; & communitèr feuda ignobilia: In cu-
s C. eod. jusmodi successione, *s* cum plures sunt fratres, ultimò natus de feodo tot faciet portiones quot sunt participes: Capitale autem Herbergagium, id est, domus cum ædificiis conjunctis

&

& Clauſo & Gardino, primogenito remanebit, dummodo fratribus juſtam faciat compenſationem; cætera æqualiter dividentur. Sed nec *s* cum quis plures habet filios, de hæreditate ſua plus uni quam alteri teſtamento relinquere poteſt; & ſi quid donaverit, poſt ejus deceſſum, ad portiones faciendas revocari debet. *u* Quod ſi hæredes defecerint feodum ad Dominum de quo tenetur, revertitur: & hæredes deficere intelliguntur quando Feodatarius nullum habet, vel non Legitimum. Nam Baſtardus nullius hæreditatis hæres eſſe poteſt. Et nemo Baſtardo hæreditarie ſuccedit, niſi ex ipſo & uxore Legitima natus fuerit. *x* At licet Matrimonium divortium recepit, procreati tamen in Matrimonio dum Eccleſia ſuſtinebat, pro Legitimis reputantur. Sed *y* & filii procreati ex ſanguine damnato ad nullam hæreditatem anteceſſorum jure hæreditario pervenire poſſunt.

s C. 29.

u C. 25.

x C. 27.

y C. 24. & C. 25.

Utroque jure qui ad feuda ſive ex alienatione, ſive ex ſucceſſione admittuntur aliquid quaſi Domini agnoſcendi causâ pendunt; quod à Feudiſtis Laudimia, in conſuetudinario Normanniæ *z* Relevium appellatur. Et prout primò Inveſtiti, Juramenta Fidelitatis præſtare debent.

z C. 34.

SECT. III.

De Acquisitione Juris in feudo.

Acquisitio juris in feudo est cùm ad tempus usus fructus feudi, vel jus commodi alicujus ex feudo percipiendi ad alium pertinet, vel ex facto hominis, vel ex dispositione juris.

COntingit aliquando quod is, qui rem immobilem sibi & hæredibus suis non acquisivit, pro vita tamen aut alio tempore, (idque præter modum contractûs) ejus usum fructum liberum vel jus aliud commoda ex eo percipiendi consequatur. Ita secundum consuetudines feudales, etiamsi feudum sine investitura constitui non potuit, *a* si tamen Domino jubente quis alicujus rei, nomine feudi, possessionem accepit, licuit ei dum vixit possessionem taliter adeptam quasi Feudi nomine retinere. Ita enim pro tempore usumfructum maritus consequitur, *b* cui pater vel ipsa uxor cum consensu Domini feudum vel feudi partem in dotem dedit.

a Feud. l. 1. tit. 25.

b L. 2. tit. 13. & 17.

Ad alia jura quod spectat, servitutes scilicet tam urbanorum quam Rusticorum Prædiorum, cùm nihil alienum reperiatur in Libris Feudorum, conjicere licet Jus Civile Romanorum apud Mediolanenses in ijs omnino obtinuisse.

De

De Consuetudine verò Normanniæ, speciales etiam casus occurrunt, in quibus à Domino feudi ad alium usus-fructus feudi transfertur; Primò scilicet quando hæres est in custodia vel sub tutela Domini. Nam [c] Princeps Normanniæ habere debet Custodiam omnium in ætate minori constitutorum, qui feuda nobilia ab ipso tenent. In minori autem ætate constituti dicuntur, qui nondum viginti annos omnino compleverunt: unde præter Minoris feuda propria, Duci cedent omnia alia feuda & successiones, quæ Minori, dum in custodia fuerit, devenient. Pupillis verò victus competens & necessaria suppeditanda sunt, prout ætas & Feodum postulabit. Quod si fœmina in Custodia fuerit, cum ad annos nubiles pervenerit, cum consilio & licentia Domini, & cum consilio & consensu amicorum, prout generis nobilitas & feodi valor requisierit; maritari, & feodum è Custodia resumere debet. Sed [d] alij etiam Domini præter Ducem qui Tenentes nobiles habent, eorum hæredibus in minori ætate constitutis, etiam Jus Custodiæ obtinent. Ædificia verò, maneria, boscos, prata & gardina, stagna, molendina, pascua, piscarias, & similia, quorum fructus percipiunt, in statu debito tueri debent. Secundò de Consuetudine Normanniæ [e] Maritus non solum Feodi uxoris usum fructum, dum ipsa vivit, percipit, sed etiam si ex ea hæredem procreavit, quem vivum natum esse constat, etiamsi uxor moriatur, omnis terra, quam jure uxoris tempore

[c] Cust. c. 33.

[d] C. eod.

[e] C. 101.

re

re mortis possidebat, ad ipsum pertinebit, quamdiu ab alijs nuptijs abstinuerit.

Tertiò per Consuetudinem Normanniæ Relicta pro *f* Dotalitio vel *g* Dotario habere debet tertiam partem totius feodi, quod maritus suus matrimonij contracti tempore dignoscitur possidere: Majus autem dotalitium habere non potest quam tertiam partem feudi, minorem potest, secundum conditiones in contractu Matrimonij initas. Nam si consentijt dotari de Mobili, vel de speciali aliqua terra, illud post mariti obitum debet ei pro dote sufficere. Nulla etiam mulier obtinet Dotalitium de feodo Mariti sui, si maritus contracto Matrimonio decessit, priusquam in idem cubiculum reciperetur. Tunc enim mulier ad dotalitium jus habet, cum sponsa mariti sui cubiculum subintravit. Sed nec Dotalitium obtinet, si inter ipsos divortium contigit, illa enim sola dotanda est de mariti sui Feodo, quæ tempore mortis eidem conjuncta fuit.

f C. 102.
g Hot. v. Dotalitium.

SECT.

SECT. IV.

De Acquisitione Rerum mobilium.

Acquisitio rerum mobilium est qua quis earum dominium consequitur, utpote ex occupatione, donatione, usucapione, ex testamento, vel successione ab Intestato, aut quovis alio titulo Juris gentium aut civilis, quatenus jure feudali comprobatur.

MOdi acquirendi res mobiles secundum consuetudines Feudales ijdem etiam videntur qui sunt de Jure Civili, nisi quod in aliquibus fortassis Jus Regaliorum discrimen faciat. Ita enim cum de Jure Civili feræ, bestiæ, volucres, & pisces fiant capientium, de Jure Feudali, Jus venandi, aucupandi, & piscandi (etiamsi inter Regalia, ut & multa alia, non numerentur) *a* ex multorum Interpretum sententia ad Regalia pertinent, & quæ ijs modis acquiruntur, de jure, non capientium, sed Principis, aut ejus cui Princeps hoc jus concessit, fiunt.

a Arnisæ. de Jure Majest. l. 3. c. 4. nu. 11.

Sed & de Consuetudine Normanniæ, circa acquisitionem Mobilium, multa specialia sunt à jure Civili aliena. Eo enim Jure, non solum (præter Juris Civilis Regulas) *b* Thesaurus inventus, Res derelictæ, & ex naufragijs ad terram appulsæ Principi vel Domino Feudi, non inventori, acquiruntur. Sed & in hujusmodi acquisitione etiam observandum, quod

b Cust. c. 18. 14.

quod Dominus Feudi in cujus terram wreccum appulit, illud in littore vel juxta littus salvum custodiri faciat, donec per justitiarium inspectum fuerit, deinde in custodiam recipere debet; & usque in annum & diem, si res servando servari possit, custodire; Si verò res sit peritura, retentis de ea signis intrinsecis & extrinsecis, autoritate Justitiarij venditioni exponere, & si quis infra tempus prædictum qui evasit ex naufragio, dictum verisçum vel partem ejus per testimonium fide dignorum & per signa probaverit, illi restituere debet; aliter anno & die elapso Domino feudi remanebit. Sed quædam sunt quæ (utcunque Domini feodorum ex concessione vel præscriptione rerum aliarum acquirendi jus habent) ad prærogativam Principis pertinent, ubicunque inventa fuerint, *e* veluti aurum & argentum tam in vasibus quam in moneta, si viginti librarum quantitatem excedat; item, equi bello apti, id est fræni patientes, Canes celeres, Accipitres, Coralium, Lapides pretiosi, escarlatum, varium & grisium, & pelles sebellinæ, quæ ad aliquem usum hominum non sunt deputatæ, & omnes torcelli sive fasciculi pannorum integrorum ligati, & omnes pisces crassi, ut balænæ & sturgeones quæ ad terram pervenerint vel captæ fuerint. Item, hoc Jure *d* Donare & retinere nihil operatur, Donare verò & retinere est quando is qui donat potestatem retinet de rebus donatis liberè disponendi, vel in possessione earundem remanet. Denique circa Testamenta & successiones in bonis mobilibus defunctorum, quædam sunt in hoc Jure quæ à Jure Civili discrepant.

e Cust. c. 19.

d Cust. reformati art. 444, 445.

pant. Quippe *e* omne Teſtamentum confici debet coram Curato ſive Parocho, Notario ſive Tabellione, & in præſentia duorum teſtium idoneorum qui vigeſimum annum compleverunt, nec ſint Legatarij, coram quibus à Teſtatore voluntas declarari debet, deinde teſtamentum legi, & ab ipſo ſignari, ſi ſignare valeat, ſin minus, ab ijs qui præſentes ſunt. Item *f* Teſtamentum ſcriptum & ſignatum manu propria Teſtatoris, validum eſt, etiamſi ſolennitates prædictæ obſervatæ non ſint. *g* Vir cælebs, vel qui liberos non habet, poſtquam vigeſimum annum complevit, poteſt diſponere de bonis mobilibus, cuicunque voluerit: Qui ſextum annum complevit filius ſive filia, poteſt diſponere de tertia parte mobilium quæ ad ſe ſpectant. *h* Baſtardi poſſunt diſponere de bonis mobilibus, non minus quam Legitimi. Fœmina conjugata non poteſt de re aliqua diſponere, *k* niſi conſentiat Maritus, aut in tractatu Matrimonij ita conventum fuerit. *l* Teſtator, qui liberos vivos habet aut ab ijs deſcendentes, non poteſt diſponere de bonis mobilibus pluſquam de tertia parte, in qua etiam expenſæ Funeris contineri debent. *m* Nihilominus is qui habet filias jam in Matrimonio viris conjunctas, poſtquam liberatus eſt earum dotibus, poteſt de medietate diſponere, & alia medietas ad uxorem pertinebit; *n* Si uxor prædefuncta ſit, de omnibus diſponendi poteſtatem habet. *o* *q* Mulier vidua liberos habens non poteſt diſponere in Teſtamento pluſquam de tertia parte mobilium. Pater aut Mater in Teſtamento non poteſt diſponere de bonis mobilibus plus

e Cuſt. refor. art. 412.

f Art. 413.

g Art. 414. & 415.

h Art. 416.

k Art. 417.

l Art. 418.

m Art. 419.

n Art. 420.

o *q* Art. 423.

p Art. 424. plus uni liberorum quam alteri; *p* Qui verò liberos non habent, possunt dare cui voluerint, quantum ipsis visum fuerit.

q Art. 394. Post mortem Mariti *q* Vidua intra quadraginta dies potest renunciare successioni in bonis Mariti, præstito prius Juramento, quod nihil percepit nec celavit de Bonis Mobilibus. Quo in casu dotarium tantum obtinebit, &

r Art. 395. bona Paraphernalia à debitis libera. Et *r* Bona Paraphernalia intelligi debent de bonis mobilibus quæ mulieris usui inserviunt: cujus generis sunt lecti, vestes, lintea, & alia consimilis Naturæ, de quibus Judex viduæ competentem distributionem faciet in specie, juxta qualitatem ipsius viduæ & Mariti, convocatis Hæredibus & Creditoribus: proviso quod dicta bona non excedent medietatem tertiæ partis mobilium, & nihilominus ubi mobilia erunt minima, illa habebit, lectum,

s Cust. c. 20. & 21. robam, & cistam suam. Quod *s* si quis sine Testamento decedet, generaliter pertinet ad

t Com. ad c. 21. Episcopum Diocesanum de ejus Catallis *t* disponere & eadem distribuere. Usurariorum verò defunctorum Catalla de antiqua

u C. 20. consuetudine Duci deveniunt. At *u* usurarius non habetur nisi qui infra annum & diem ante decessum usurariam pravitatem exercuit.

x C. 21. *x* Item Catalla eorum, qui seipsos occidunt, Princeps habere debet; nisi quis aliquo infortunio perijt, vel amens, sive vesanus, seu peste phrenetica correptus, interemptus sit.

SECT.

SECT. V.

De Contractu temporali, & de Contractu circa feudum.

Contractus temporalis est conventio Juri temporali consentanea, estque vel de feudo, vel de jure in feudo, vel de rebus mobilibus. Contractus de feudo est qui ipsum feudum respicit, utpote contractus venditionis vel alienationis feudi, & cum de Evictione praestanda contrahitur.

POst Acquisitionem temporalem modi contrahendi Juri temporali consentanei considerandi sunt. Et de Jure Feudali quamvis antiquitùs nec *a* feudum nec feudi partem alienare licuit, posteà, cum *b* Domini & *c* agnatorum, si feudum Paternum erat, consensu distrahere permittebetur. Et si quis vendidit, emptori de *d* Evictione, id est de praestando rem ipsam, vel casu quo evinceretur, rei valorem & interesse tenebatur.

a Feud. l. 2. tit 52.
b Ibidem.
c L. 2. tit. 39.
d L. 2. tit. 8. & 80.

De consuetudine etiam Normanniæ *e* feudum nobile vendere non licet sine speciali assensu Domini, nisi de feudo tertia pars vel tantum remaneret ut jura & servitia Dominis solvi & Praestari possent. Et cum *f* venditur feudum, plerunque etiam sic contrahitur, quod is qui vendidit defensionem proprietatis vel evictionem praestare in se suscipiat, quod vulgo garantizare dicitur.

e Cust. c. 29.
f Cust. c. 50.

SECT.

SECT. VI.

De Contractu de Jure in feudo.

Contractus de Jure aliquo in Feudo est qui de usufructu vel alio Jure in feudo initur, utpote cum locatur vel oppignoratur feudum.

IN libris feudorum quæ de contractibus de jure in feudo habentur, à Jure Civili parum differunt. Et eo Jure vasallus Feudum locare potuit, nisi Locatio esset fraudulenta alienatio, veluti *a* libellarius contractus quo pro vili aliqua pensione utpote duorum denariorum Feudum perpetuò utendum concedebatur. Sed & Feudum in pignus dari potuit; quod *b* si quis rem aliquam sine consensu Domini pignori obligaret eo pacto ut si statuto tempore pecunia soluta non esset, res esset Creditoris, quandocunque pecuniam solvendo, pacto non obstante, pignus recuperare potuit. Eodem modo de Consuetudine Normanniæ *c* Feodum vel pars Feodi locari potuit ad certum tempus, quod vulgò Firma dicitur. Sed & eodem Jure dupliciter oppignorari consuevit, ita ut *d* vadium sive pignus vel vivum vel mortuum constitueretur. Vadium vivum est quod ex suis proventibus liberatur, ut cum terra traditur in Vadium pro centum solidis usque ad tres annos, ita ut elapso anno tertio reddatur obligatori omnino libera, in quantum pecuniæ creditæ à proventibus ejus-

a Feud. l. 2. tit. 9.

b L. 1. tit. 27. & l. 2. tit. 51.

c Cust. c. 112. & 114.

d C. 111.

dem

dem perceptæ sint. Mortuum autem dicitur vadium quod se de nihilo redimit, veluti cum terra oppignoratur alicui pro centum solidis, ea conditione quod quando is qui oppignoravit recipere velit, centum solidos restituat. Et hujusmodi vadium recipere, species usuræ illicitæ habetur.

SECT. VII.

De Contractu de Re mobili.

Contractus de re mobili est, qui de Re mobili, vel de Jure aliquo in re mobili instituitur; isque sive rei traditione, sive solo consensu, sive scriptis aut verbis conciliatur.

DE Contractibus aliis præterquam de ipsis feudis, & juribus in feudis constitutis in Libris feudorum nihil occurrit. Unde conjicere licet, in iis omnino Jus Civile observatum fuisse.

Nec quæ in Consuetudinario Normannico reperiuntur, ab eo jure multum abhorrent. In qua Obligationis & Actionis legitimæ causa habetur, *a* si quis ab alio pecuniam mutuò vel equum commodato acceperit, item *b* si quis ex causa aliquid alteri promiserit. Nam ex promisso nemo debitor constituitur, nisi causa legitima promittendi præcesserit: item *c* si quis se pro alio plegium vel debitorem constituerit.

a Cust c. 87. & 88.
b C. 88. & 91.
c C. 60.

Nam eo Jure Plegii alii simplices, alii debitum retinentes dicuntur. Plegiatio simplex sic contrahitur: Ego Plegio A, id est, spondeo pro A, quod reddet D. centum solides ad Festum Nativitatis Domini; atque hujusmodi Plegiatio idem est quod Fidejussio. Plegiatio autem dicitur debitum retinere, quando quis cum alio se constituit principalem debitorem. Atque hæc de Contractibus juri etiam Feudali consentaneis.

SECT. VIII.

De Delicto temporali, & de delicto contra Fidelitatem.

Delictum temporale est quod contra Jus temporale committitur, nimirum quod contra Fidelitatem, contra Pacem, vel contra officium temporale fit. Delictum contra Fidelitatem vel Ligeantiam est quo Dignitas Principis minuitur, veluti Proditio, Rebellio, Seditio, & alia, ex quibus Princeps vel Imperium immediatè lædi potest.

SIcut contractus temporalis habetur qui Juri temporali est conformis, ita Delictum temporale est quod jure temporali improbatur. Cujus generis sunt cum Crimina tum Delicta quæ etiam Jure Civili condemnantur, etiamsi fortassis sub diversis conditionibus considerentur.

siderentur. In his verò de Jure Feudorum crimen vel delictum graviſſimum cenſetur quod contra Ligeantiam vel Coronam & Dignitatem Principis admittitur, veluti crimen Læſæ Majeſtatis, Rebellionis & Seditionis, *a* cum aliqui quomodocunque publicè vel occultè contra honorem Principis & fidelitatem, Rebellionis opera faciunt, & contra imperii proſperitatem aliquid machinantur, vel contra Officiales Principis in his quæ ad officium iis commiſſum pertinent rebelles exiſtunt.

a Feud. Extrav. H 7. tit. 1. & 2.

In Conſuetudinario Normannico hujus generis habetur Proditio, *b* cum quis Ducis inimicis manifeſtis contra ipſum conſilium vel auxilium præbet. Item ſi quis in Caſtrum Ducis hoſtes introduxerit, vel introducere conatus ſit. E quibus de aliis ejuſdem naturæ ſtatuere liceat.

b Cuſt. c. 14. *c* C. 72.

SECT. IX.

De delicto contra Pacem.

Delictum contra Pacem est quo Pax violatur; quod vel vi & armis fit, utpote Homicidium, Raptus, Vulneratio, Mutilatio membrorum, Latrocinium, & similia; vel sine vi & armis, veluti Transgressiones quibus damnum vel contumelia alicui infertur.

IN Libris Feudorum hujus generis pleraque crimina *a* Feloniæ nomine comprehenduntur, & tanquam gravia & enormia censentur. Veluti *b* si quis hominem infra pacem constitutum occiderit, *c* si quis alium infra pacis Edictum vulneraverit; item *d* si quis alium absque sanguinis effusione percusserit, si crines ejus aut barbam expilaverit, *f* si quis alium temerè sine percussione invaserit, & calidâ manu verberibus & contumeliis malè tractaverit, *g* si quis publicè latrocinatus fuerit, *h* si quid quinque solidos valens furatus fuerit, & similia. Atque hæc plerunque vi & armis geruntur: Sed & sine vi & armis Transgressiones fiunt, cum damnum in rebus infertur, *i* ut si quis in agro alieno animalia pabulare permiserit; Licuit tamen per terram transeunti prope viam equum suum ad refectionem & reparationem pabulare, item uti herbâ & viridi sylvâ sine vastatione aliqua pro sua commoditate & usu.

a Feud. l. 2. tit. 26. § 23. & tit. 37. & 47.
b L. 2. tit. 27.
c Ibid.
d Ibid.
e Ibid.
f Ibid.
g Ibid.
h Ibid.
i L. 2. tit. 27. in fine.

Item

Item de consuetudine Normanniæ flagitia graviora habentur; *k* murdrum sive homicidium voluntarium cum quis aliquem in pace Ducis felonicè occidit, *l* defloratio Virginis violenta, *m* mehaymium sive mutilatio membrorum vel vulneratio sanguinolenta, *n* assaltus violentus, *o* voluntaria domorum incendatio, *p* Roberia sive Latrocinium; Sed & eodem jure Transgressiones habentur cum personæ alicujus vel bonis injuria infertur; personæ, ut *q* simplex percussio & injuria verbalis. Simplex percussio est, ex qua nec mortis, nec mutilationis impendit periculum. *r* Injuria verbalis est quoties convitium aliquod personæ alicujus ab alio irrogatur. Et Convitia quædam Criminalia sunt, quædam Simplicia: Criminalia, quorum actum si perpetratum fuisset, perpetranti corporis vel membrorum dispendium infligeretur; ut si quis alteri homicidium vel latrocinium imputaret. Simplicia sunt, cum quid objicitur, ex quo, si verum esset, mortis vel mutilationis periculum nullum impenderet. Denique hoc etiam Jure alicui in rebus injuria inferri videtur, *s* si cui in gramine vel segete damnum sit illatum. Item si in boscis, stagnis, garennis, sive locis in quibus cuniculi includuntur, aliquod incommodum indebitè procuretur.

k Cust. c. 58.
l C. 10.
m C. 73.
n C. 74.
o C. 10.
p C. 70.
q C. 84.
r C. 86.
s C. 6.

SECT. X.

De delicto contra Officium temporale.

Delictum contra officium temporale est, cum vasallus contra Dominum Inferiorem aliquid nequiter admiserit, vel servitia debita præstare omiserit.

POst delicta communia quæ contra Fidelitatem seu Ligeantiam quæ Principi debetur, & contra pacem committuntur, Delicta specialia observanda sunt, quæ inferiores vasalli contra officium admittunt, quæ ipsos Ingratitudinis arguunt; ut *a* si quis hostiliter adversus Dominum se gesserit, *b* si sciens Domino insidias strui, eum certiorem non fecerit; *c* si Dominum in acie periclitantem deseruerit, *d* si uxorem vel filiam Domini corruperit, & hujusmodi: Huc etiam referuntur, *e* si indictâ publicâ expeditione vocatus à Domino, spatio justo ac competente venire contempserit; aut pro se alium idoneum non miserit; aut hostenditias non solverit; vel *f* si illud servitium propter quod feudum datum fuit facere recusaverit, & similia. Et hæc etiam de Delictis Jure Feudali improbatis.

a Feud. l. 2. tit. 57.
b Feud. l. 2. tit. 24.
c L. 2. tit. 24.
d L. 1. tit. 5.
e L. 2. tit. 54. & 55.
f L. 2. tit. 24.

DE-

DESCRIPTIO
JURIS & JUDICII
TEMPORALIS
SECUNDUM
CONSUETUDINES
Feudales & Normannicas.

PARS TERTIA.

SECT. I.

De Judicio temporali.

Judicium temporale est in quo causæ temporales deciduntur; in quo in genere respicitur Curia, Cognitio, & Coërcitio temporalis; deinde quæ ad specialia negotia referuntur.

UT Jus temporale quid cujuscunque sit definit, ita Judicium temporale suum cuique tribuit: Et ad hoc requiruntur cùm Judices, tùm partes, qui litem instituant. De quibus in genere in Libris Feudorum nihil occurrit. In Consuetudinario verò Normanniæ Judex *a* Justitiarius dicitur, & à Justitia nomen accipit, eò quod Justitiandi homines, & de querimoniis cognoscendi potestatem habet. Et *b* Querimonia est ostensio facta Justitiario conquerendi de injuria irrogata, ut super hoc injuriam passo justitia tribuatur. *c* Placitatores sunt qui querelam deducunt in Curia; tam querelando, quàm respondendo; è quibus querelatus est persona de quâ ostenditur querimonia Justitiario, ut super ea jus exhibeat prout debet: Sed & notandum, quod non solum foris bannizati, sed etiam *d* excommunicati ab omni actione in Laicali Curiâ expellendi sunt, & omnis audientia ipsis agentibus debet denegari; respondere tamen tenentur, si quis contra eos agere voluerit; *d* Clerici verò & Personæ Ecclesiasticæ ab omni Laicali curia sunt exempti, nisi in quantum exigit feodum Laicale. Denique Partes *e* Attornatos possunt facere & constituere in omni querela, exceptis casibus in quibus Leges propriè & per se requirunt actionem; qui attornati querelam deducere possunt placitando, nec tamen componere vel transigere. Item *f* Proloquutores instituere possunt ad loquendum, quorum verba idem pondus habent, ac si ex ore instituentis processissent.

a Cust. c. 4.

b C. 54.

c C. 53.

d C. 62.

d C. 82.

e C. 65. & 126.

f C. 64.

SECT.

SECT. II.

De Curiis temporalibus, & de Curiis Domini ſupremi.

Curia temporalis eſt forum ſive tribunal in quo cauſæ temporales terminantur. Eſtque vel Domini Supremi, vel Dominorum ſuperiorum, vel Dominorum inferiorum. Curia Domini Supremi eſt in qua Lites coram Judicibus Regijs inſtituuntur.

PRo commodiori exerçitio Judicij, Curiæ ſive Loca certa in quibus Judices cauſas audiant & definiant, inſtituta ſunt; in quibus præcipuæ ſunt quæ ad Dominum ſupremum pertinebant. Ita ſecundum Conſuetudines Feudales graviores cauſæ in Curia Imperatoris tractabantur, ut *a* ſi contentio eſſet inter primi ordinis vaſallos, veluti Duces, Marchiones, & Comites, vel *b* ſi de Beneficio regali controverſia fuiſſet, coram Judicibus Imperatorijs diſceptabatur: Sed & à Judicibus alijs ad Imperatorem *c* Appellationes interponebantur. Multo magis *d* Cauſæ Capitales à Judicibus Imperatorijs decidi debuerunt.

a Feud. l. 1. tit. 18.

b L. 2. tit. 34

c L. 1. tit. 22.

d L. 2. tit. 27.

In Conſuetudinario Normanniæ definitur *e* Curia congregatio eorum certo loco & die aſſignato per quos jus eſt ſuper querelis placitantibus exhibendum. Ut *f* Princeps Normanniæ

e Cuſt. c. 53.

f Ibid.

manniæ principaliter Curiam tenet de omnibus injurijs quæ ad suam pertinent dignitatem, veluti de Moneta & similibus, item de placitis Gladij, & de omnibus alijs rebus ad Laicalem Curiam pertinentibus, de quibus querimonia ad ipsum delata est, Ejusque Justitiarij vel Majores sunt, ut Seneschallus & Magistri Scaccarij; vel minores, ut Baillivi, & Vicecomites. *g* Solebat enim antiquitùs quidam Justitiarius cæteris superior per Normanniam discurrere, qui seneschallus Principis vocabatur, qui quod alij inferiores omiserant corrigebat, & singulis triennijs singulas partes Normanniæ & Baillivas visitabat. Item *h* Scaccarium erat Congregatio Justitiariorum superiorum, ad quos pertinet ea corrigere quæ Baillivi & minores Justitiarij minus justè fecerant, & unicuique quasi ex ore Principis jus reddere, & tanquam ejus oculis circumspicere quæ ad ejus honestatem & dignitatem pertinent. Et *i* quicquid in hac Curia per solenne Judicium factum fuerat inviolabiliter ab omnibus observari debet. Baillivi, intra Baillivas sibi commissas, Justitiandi habent potestatem: *k* sub quibus constituti sunt Subjustitiarij ad juris officia exequenda, veluti Vicecomites & spathæ sive gladij servientes. *l* Hi Baillivi instituti sunt ad conservandum pacem, ad terminandum lites sive querelas, ad destruendum latrones, homicidas, incendiarios, & alios facinorosos. Horum dies Juridici Assisia vocantur. Et definitur *m* Assisia, Congregatio militum & hominum prudentum cum Baillivo certo loco & tempore per intervalla quadraginta dierum, ut de auditis

g C. 18.

h C. 56.

i Ibid.

k C. 4.

l Ibid.

m C. 24.

ditis in Curia judicium & justitia exhibeatur. Et in hac etiam Curiâ quod factum est, in jure firmitatem obtinere debet. Unde *n* Curiæ Recordationum appellantur, quia non solum quæ fiunt in curia placitando, id est quæ motæ quærelæ occasione deducuntur, sed & quæ fiunt denuntiando, ut venditiones, attornationes, & hujusmodi aliquando in ijs peraguntur, ut Recordationis retineant fulcimentum. Atque hujusmodi sunt Curiæ Principis sive Ducis Normanniæ à quibus si quis Jurisdictionem ad alias Curias transferre vellet, per Judices coërcendus est. *n* C. 123.

SECT. III.

De Curiis Dominorum superiorum.

Curiæ Dominorum superiorum sunt in quibus causæ coram Judicibus à Dominis superioribus constitutis disceptantur.

DE Jure Feudorum non solum Imperator sed & alij Domini prout Jurisdictionem, ita etiam Curias habuerunt, veluti *a* majores valvasores, Duces scilicet, Marchiones, & Comites. Et de Consuetudine Normanniæ *b* qui habent Comitatus, Baronias vel alias dignitates feudales, non solum de querelis

a Feud. l. 2. tit. 89.

b Cust. c. 53. c. 2. & c. 93.

relis ex feodo procreatis, & omnibus alijs querelis quæ contra residentes feodi procreantur, sed etiam aliquando ex concessione Principis Normanniæ, de Placitis spathæ sive gladij, veluti de Roberiâ & murdredo, Jus dicendi potestatem habent.

SECT. IV.

De Curiis Dominorum inferiorum.

Curiæ Dominorum inferiorum sunt in quibus causa quæ ad eorum Jurisdictionem spectant, terminantur.

a Feud. l. 2. tit. 55. in fine.
b Cust. c. 53.

INter suos vasallos etiam a minores valvasores Judicandi potestatem obtinebant. Et in Normannia etiam b milites & qui habent Feoda Loricæ vel alia franca feoda Curias habent de suis residentibus in simplicibus querelis levibus & grossis, & mobilibus hæreditatibus, etiamsi per duellum habeant, terminari.

SECT.

SECT. V.

De Cognitione temporali, & de Cognitione per Judicium Parium.

Cognitio temporalis est modus explorandi veritatem in controversiis temporalibus, utpote per Judicium Parium, per Duellum, & per Purgationem Sacramentalem. Cognitio per Judicium Parium est quando post inquisitionem de veritate & meritis causæ convasalli vel vicini quid statuendum sit in Curia proferunt.

SEcundum Consuetudines Feudales modi quidem explorandi veritatem in judicio, qui de Jure Civili in usu non fuerunt, introducti sunt, quorum præcipuus erat *a* Judicium Parium, cum scilicet Convasalli, qui etiam Pares Curiæ dicebantur, de causis cognoscebant, quorum Judicium Laudamentum Parium dicitur. *a* Feud. l. 2. tit. 21. & l. 2. tit. 55.

De Consuetudine Normanniæ ejusmodi modus explorandi merita causæ in judicio adhibetur, qui Inquisitio dicitur, quæ est Recognitio veritatis illius rei super quam contentio ventilatur, per Sacramentum duodecim hominum, militum, vel aliorum fide dignorum, qui neutri parti aliquâ occasione sunt suspecti; & hujusmodi Inquisitio tenenda est per eos qui infra vicinetum nati, & diu commorati sunt, si tales idonei inveniri possunt. *c* De vicineto verò illi dicuntur qui infra Leucam in Parochiâ, vel Parochijs adhærentibus commorantur. *d* Iidem Juratores dicuntur, *b* Cust. c. 9. *c* C. 115. *d* C. 9.

tur, quia præstito in Curiâ corporali Sacramento, tenentur de querelis verum dicere prout ijs à Justitiarijs inculcatum fuerit.

SECT. VI.

De Cognitione per Duellum.

Cognitio per Duellum est quando singulari certamine Lis dirimitur.

[a] Feud. l. 2. tit. 27.

SEcundus modus experiundi juxta Jus Feudale erat [a] Duellum sive singulare certamen, in quo qui succubuit idem etiam in causâ cadebat.

[b] Cust. c. 68. & 127.

Ejusmodi mos in Consuetudinario Normanniæ [b] Vadiatio Duelli, & Lex apparens dicitur, in quo sic proceditur: In die scilicet Duello assignato, Pugiles ante horam meridiei in Curiâ comparere debent, in tunicis cum scutis & baculis cornutis armati, capillos super aures rotundè adæquatos habentes: cunque uterque eorum se Justitiario obtulerit, Duelli verba per Justitiarium debent recitari; & deinde ad campum ducendi sunt pugnaturi. & quatuor milites eligendi sunt, qui campum custodiant, omnesque alij sedere debent in Coronâ, & bannum Ducis proclamatur, ne quis, sub pœnâ vitæ & membrorum, verbo vel facto, alicui pugilum auxilio vel impedimento sit. Tum Pugiles præstitis invicem juramentis, de veritate causæ, & quod sorcerias non adhibeant, &, peractâ competenter oratione, pugnam ineunt; & si Defensor se usq; ad stellas de nocte in cœlo apparentes defendere poterit victoriam consequitur.

SECT.

SECT. VII.

De Cognitione per Purgationem Sacramentalem.

Purgatio Sacramentalis est quando secundum juramentum Patris, & aliorum fide dignorum, de Lite statuitur.

TErtius modus Cognoscendi de Jure Feudali erat cum per *a* Sacramentum Lis decidebatur, id est, cum quis proprio juramento se purgaret, & duodecem alios Sacramentales adduceret, qui de credulitate ejusdem Sacramenti astipularentur. Qui modus apud Normannos *b* Defrainia & vadiatio Legis dicitur, quæ est Lex quædam per quam in simplicibus querelis reus factum quod à Parte ei adversâ objicitur se non feciſſe declarans, ad purgandum se per sacramentum suum, & coadjutorum admittitur, quod cum fecerit liberatur, & pars adversa in emendâ remanebit.

a Feud. l. 1. tit. 26.

b Cust. c. 126.

SECT.

SECT. VIII.

De Coërcitione temporali, & de Coërcitione circa bona.

Coercitio temporalis est modus puniendi contemptus & delicta in Judicio temporali; veluti supplicia quæ circa bona, quæ circa statum, & quæ circa corpus irrogantur. Coercitio circa bona est, cum bona mobilia vel immobilia ad tempus distringuntur, vel in perpetuum auferuntur.

AD vigorem Judicii sustinendum Coërcitio temporalis comparata est. Quæ de Jure Feudali primò fit *a* per districtionem bonorum mobilium, vel per missionem in possessionem immobilium, item cum mulcta imponitur, vel omnia bona proscribuntur.

a Feud.l.2.c.27.

Haud aliter de Consuetudine Normanniæ Justitiatio fit per mobile, veluti pet captionem & detentionem pecorum aut aliorum mobilium quæ infra feodum vel Jurisdictionem deprehenduntur: & per feodum, cum aliquis in feodi possessionem mittitur, nec non cum bona vel feoda tanquam forisfacta capiuntur.

b Cust.c.6.

SECT.

SECT. IX.

De Coercitione circâ ſtatum.

Coercitio circa ſtatum ſit Incarceratione, quâ libertas adimitur, & Bannitione, quâ quis Communione temporali excluditur.

IN Libris etiam Feudorum Incarcerationis & [a] Bannitionis pœnæ pro delictis impoſitæ reperiuntur. Et in Conſuetudinario Normanniæ [b] Juſtitiatio etiam fit per Corporis captionem & detentionem in carcere. Sed & ſi quis conetur Judicium ſubterfugere ad tres continuas aſſiſias vocari debet, ad quartam aſſiſiam recitatâ causâ & ſubterfugio debet for-bannizari, ita quod ſi quis eum poſt lapſum hujus aſſiſæ invenerit, ipſum debet reddere vivum vel mortuum Juſtitiario, vel ſi eum capere non potuerit clamorem patriæ qui dicitur Harou, poſt ipſum excitare.

[a] Feud. l. 2. tit. 27.

[b] Cuſt. c. 6. c. 23 & 24.

SECT. X.

De Coercitione circa corpus.

Coercitio qua corpus afficitur, est quâ sanguis vel vita tollitur: Sanguis tollitur amputatione membrorum; vita aufertur gladio, Laqueo, & similibus.

IN Libris Feudorum inter supplicia corporalia minora *a* manûs amputatio, cum scopis & forcipe excoriatio reperiuntur: inter gráviora sunt supplicia Capitalia, ut pœna *b* gladii vel Laquei quibus vitâ quis privatur. Ita etiam de Consuetudine Normanniæ quædam sunt causæ quæ *c* Placita spathæ sive gladii dicuntur, quòd in iis Malefactores gladio & armis sunt reprimendi, & querelæ criminosæ dicuntur quas sequitur membrorum aut vitæ damnamentum.

a Feud. lib. 2. tit. 27. & 55.

b Tit. 27. § 8.

c Cust. c. 5.

DE-

DESCRIPTIO
JURIS & JUDICII
TEMPORALIS
SECUNDUM
CONSUETUDINES
Feudales & Normannicas.

PARS QUARTA.

SECT. I.

De Judicio circa negotia temporalia in ſpecie, & de judicio circa Inſtitutionem feudi.

Judicia circa negotia temporalia in ſpecie ſunt quando de Creatione feudi, de Acquiſitione, Contractu, vel Delicto temporali Lis movetur.

tur. Judicium circa Creationem vel Constitutionem feudi est quando quæstio est utrum aliquod feudum sit necne, aut quale sit.

CUm circa negotia temporalia in ſpecie dubia & controverſiæ oriantur, pro ijs diſcutiendis & terminandis Judicia etiam comparata ſunt. Et primum hujuſmodi eſt judicium cum de feudi ſtatu vel conditione contenditur; utpote de feudi ſtatu, *a* cum Dominus in poſſeſſione feudi conſtitutus, ſe de eo Inveſtituram feciſſe negat, alter verò agit ut inveſtituram probet per inſtrumentum publicum, vel per Pares Curiæ, aut, ſi nulli ſint, per extraneos; quod ſi nec hi extent, juris-jurandi Electionem Domino facit, ita ut jurare, aut juramentum referre cogatur. Et è converſo, ſi vaſallus in poſſeſſione fuerit. De Feudi conditione controvertitur, *b* cum Dominus feudum novum, Agnati verò defuncti paternum eſſe contendunt, Eodem modo de Conſuetudine Normanniæ de naturâ vel qualitate feudi litigatur, ſecundum brevia ſive reſcripta certa pro naturâ cauſarum ad vicecomitem deſtinata.

a Feud. l. 1. tit. 4. & l. 2. tit. 2.

b L. tit. 26. l. 2. tit. 2.

SECT.

SECT. II.

2. *De Judicio Acquisitionis temporalis, & de Judicio Acquisitionis feudi.*

Judicium Acquisitionis temporalis est in quo agitur de acquisitione rei alicujus temporalis, veluti de acquisitione feudi, de acquisitione juris alicujus in feudo, & de acquisitione rerum mobilium. Judicium acquisitionis feudi est cum de possessione vel proprietate feudi Lis est.

CUm de Investiturâ feudi constat secundum consuetudines Feudales *a* agere potest investitus ut dominus ipsum in realem possessionem feudi mittat, & si **differat**, ut utilitatem omnem ei præstet. Item *b* **cum** quis se ab alio spoliatum queritur, actio instituitur ut ad feudi possessionem restituatur; sed ex causâ successionis controversia in Judicium deducitur, *c* cum filia defuncti contra agnatos feudum fœmininum vendicat, vel è contra agnati contra filiam pro feudo fœminino agunt.

a Feud. l. 2. tit. 4. l. 2. tit. 7.

b L. 2. tit. 8. & tit. 43.

c Feud. l. 2 tit. 41.

De Consuetudine etiam Normanniæ quando de feodis controvertitur aliquando Jus possessionis in judicium deducitur; ut in Brevi novæ Disseisinæ, & in Brevi de morte Antecessoris, aliquando jus proprietatis, ut in Brevi de Jure apparente & in Brevi de stabilitâ.

d Cust. c. 94. d Breve novæ Disseisinæ in hæc verba instituitur: præcipe Titio quod sine morâ Getæ possessionem restituat terræ apud B. de cujus possessione eum injustè post ultimum Augustum ejecit; quòd nisi fecerit, submone cognitionem de vicineto quòd sit ad primas Assisias Baillivæ ad recognoscendum &c. Et terram interim videri facias & esse in pace. Recognitio ab ultimo Augusto fieri debet, quando de terris agitur quarum fructus eo tempore percipiuntur; in alijs, ab ijs temporibus fieri debet in quibus aliquid præstari consuevit.

e C. 99. e Breve de morte Antecessoris sub hujusmodi concipitur formâ: Si Titius dederit Plegios de clamore suo prosequendo, submone Recognitionem de Vicineto quòd sit ad primas Assisias Baillivæ ad Recognoscendum si Nicolaus fuit seisitus hoc anno quo mortuus est de terrâ apud G. quam Sempronius ei difforciavit, & utrum Titius sit propinquior hæres ad habendum successionem, & interim terra videatur, & sit in pace. In Recognitione hujusmodi attendendum est, utrum Antecessor seisitus erat. Et seisitus aliquis dicitur, cum per ipsum, vel nomine ipsius, vel ad opus ipsius seisina sive possessio habetur. Et nullus annos discretionis attingens, hanc Recognitionem habebit, nisi Breve ceperit infra annum & diem quo Antecessoris illius mors communiter fuerat publicata: Illis autem qui nondum annos discretionis attigerunt, nulla temporis diuturnitas præjudicat quin habeant inquisitionem supradictam, f Si quandò verò quæstio emergat, utrum quis hæres sit legitimus quasi in non-legitimo matrimonio natus:

f C. 27.

Quia

Quia multa Matrimonia in occulto fiunt, nec sunt publicè manifestata, de his Inquisitio per Sanctam Ecclesiam fieri debet nec ad Curiam Laicalem spectat de iis judicare. Nam si sancta Ecclesia eos pro Legitimis habet, Curia Laicalis pro legitimis reputare debet. *g* Legis sive Juris apparentis querela in contentione Feodali sic deducitur. Ego queror de N. qui mihi differciat quoddam feodum apud R. quod Pater vel Avunculus cujus sum hæres propinquior, tempore pacis post Coronationem Regis Richardi pacificè possedit, in quo nullum jus habet contra me. *h* Mentio verò habetur Regis Richardi, quòd cum antiquitùs præscriptio solebat currere de triginta annis, quòd tempus non erat ad memoriam ex facili reducendum, voluit Princeps Normanniæ, ut Præscriptionis terminus autoritate alicujus rei solennis denotaretur; & primò terminus erat post Coronationem Regis Henrici; post institutum fuit à Rege Philippo, quod hujusmodi Præscriptio curreret à tempore Coronationis Regis Richardi. *i* Ad hanc autem Querelam si in die assignato querelatus respondeat, hæc omnia denego de verbo in verbum, quod paratus sum defendere, incontinenti debet tradere vadium suum sive pignus Justitiario qui terminum competentem tam Loci quam temporis ad Duellum deducendum assignabit. *k* Sed & hujusmodi Controversia non solùm per Duellum, sed etiam per Inquisitionem Patriæ, quæ Recognitio dicitur, terminari potest. Breve de *l* stabilià contrà competit quando quis queritur Feodum vel terram ab eo injustè exigi, ut de pro-

g C. 127.

h C. 113.

i C. 127.

k C. 87.

l C. 115.

prietate Feodi inquiratur, sub hac formâ: Queritur N. quod G. injustè exigit ab eo quandam terram apud R. unde petit Domini Principis Normanniæ stabiliam ad Recognoscendum quis majus jus habet in illâ, is qui tenet, an is qui exigit. Unde Plegiis receptis de stabiliâ prosequendâ, & Visoribus ad visionem submonitis, dies partibus ad Assisas est assignandus: quo die ad Recognitionem hujus Brevis faciendam jurari debent Milites, & alii homines fide digni, qui infrà vicinetum originem traxerunt, & veritatem de eo de quo queritur meliùs proferre possunt.

SECT. III.

De Judicio Acquisitionis Juris in feudo.

Judicium Acquisitionis Juris in Feudo, est in quo disceptatur vel de Acquisitione usufructus integri, vel de Acquisitione juris cujuscunque particularis in Feudo alterius.

QUemadmodum de Jure Feudorum constitutio usufructus & juris cujusque alterius à Jure Civili ut plurimum pendebat: ità nihil apparet quin Judicia de iisdem secundum actiones Juris Civilis procederent.

De Consuetudine Normanniæ pro diversis causis in quibus integer usufructus Feudi alicui debetur, quædam remedia sive modi agendi

præscribuntur. Et primò quod ad Custodiam sive Tutelam attinet; *a* Hæredes in primo post vicessimum annum completum, seisinas sive possessiones Antecessorum suorum, & eorum quorum Escætæ sive successiones ad ipsos tanquam propinquiores hæredes devenire debuerunt, per Inquisitionem revocare possunt. Deinde ratione *b* Maritagii Judicium instituitur, si marito objectum fuerit defunctam ejus non fuisse uxorem: de quo inquisitio tenenda est utrum de consensu Ecclesiæ eam habuerit in uxorem tempore quo decessit: quod si probare obtulerit, ad Ecclesiasticam Curiam remittetur. Item si negatum fuerit, eum prolem ex defunctâ suscepisse; de quo Inquisitio per vicinium fiet ubi dicitur ortum suscepisse, Item si post mortem mariti hæredes uxoris feodum in quo durante ejus viduitate successio impediebatur, revocare velint. Præterea *c* de Dote sive Dotalitio in Judicio quæritur, cum Relicta contra hæredes Mariti vel contra alios possessores in quos maritus feodum transtulit, pro dote agit. Et duobus modis mulier dotem suam contra detinentes requirere potest, per Breve de dote, aut per Recordationem. Conficitur autem Breve de dote in hac formâ: Si M. dederit Plegios de clamore suo prosequendo, submone Recognitionem de vicineto, quod sit ad primas Assisas Baillivæ, ad recognoscendum utrum N. maritus ejus quando duxit eam in uxorem erat seisitus de terrâ apud B. modo quo eam dotare posset & deberet, cujus dotem T. ei deforciat minus justè &c. Cum verò in contractu Matrimonii dos de terrâ specificatâ assignata fuit, petitur à Judice per Recor-

a Cust. c. 33.

b C. 101. & 121.

c C. 102. & 103.

cordationem, id est, per Attestationem eorum qui tempore contractus interfuerunt: & illud quod per Recordationem majoris partis, dum tamen Septenarium numerum attingat, recognitum fuerit, observari debet, receptis prius sacramentis à singulis de veritate recordandâ. Sed & de Dote habetur Inquisitio, cum post decessum Relictæ quæ terram in dotem ceperat, ab hærede Mariti petitur: Et in hoc Judicio inquirendum est, utrum relicta ex cujus morte Feodum illud requiritur, ipsum in dotem habuerit ratione mariti sui, & utrum requirens propinquior sit hæres illius de cujus possessione dotalitium factum fuerit. Denique si de jure aliquo particulari in terrâ vel feodo alterius controversia esset, iisdem modis quibus de Feodo agitur, videtur agi posse.

SECT.

SECT. IV.

De Judicio Acquisitionis rei mobilis.

Judicium Acquisitionis rei Mobilis est in quo de Proprietate rei Mobilis controvertitur.

DE hoc judicio in Libris Feodorum sicut de superiore haud quicquam occurrit. In consuetudinario autem Normanniæ, dicitur [a] Querela de re Mobili, cum super aliquâ possessione mobili inter partes adversas contentio ventilatur; ut, cum Titius petit à Seio equum quem ab eo injustè detinet; vel, [b] cum quis rem detinet quam ab alio recepit, cum pecora aberrantia, vel bona inventa, infra tempus requisita, non restituit, cum bona alicujus mobilia indebitè distrinxit, vel furto ablata susceperit, &c.

[a] Cust. c. 87.

[b] C. 91.

SECT.

SECT. V.

De Judicio Contractus temporalis & de Judicio Contractus circa feudum.

Judicium Contractus temporalis est in quo agitur de Contractu temporali, veluti de Contractu circa Feudum, de jure aliquo in feudo, vel de re aliquâ mobili. Judicium Contractus circa feudum est in quo controvertitur de Proprietate feudi ex causâ venditionis, vel cum de Evictione agitur.

QUemadmodum de Acquisitione temporali, ita etiam de contractibus Judicia instituta sunt. Et primùm de Contractu circa Feudum agitur, *a* cum is qui feudum emit, agit ut ad realem feudi possessionem admittatur, vel postquam admissus est, & feudum ab alio recuperandum est, Litem *b* de evictione movet, maximè si cum de feudo interpellatus esset, autorem suum, ut eum defenderet, invocavit.

a Feud. l. 2. tit. 7.

b Lib. 2. tit. 8. & 30.

Eodem modo secundum Consuetudines Normanniæ Judicium circa contractum de Feudo vendito instituitur. Cum quis *c* alteri terram vel feodum alienum tradidit, qui recepit eum in Judicium ad garrantizandum, id est ad proprietatem præstandum vel ad Excambiendum, id est ad aliud feodum ejusdem valoris dandum vocare potest.

c Cust. c. 50. & 113.

SECT.

SECT. VI.

De Judicio Contractus de Jure aliquo in feudo.

Judicium Contractus de Jure in Feudo est quod instituitur de obligatione quæ ex ejusmodi Contractu oritur, veluti ex Locatione vel ex Oppignoratione Feudi.

DE Jure Feudorum is qui Feudum conduxit contra eum à quo conduxit Judicium instituendi causam habuit, *a* Si ante tempus in conventione præfinitum Feudi usum impediret; & *b* is qui feudum locavit, pro mercede agere potuit, & transacto tempore pro restitutione Feudi, sed & *c* ante illud tempus si quis jure feudi abuteretur. Eodem Jure ut Creditor in possessione Feudi oppignorati, donec debitum solutum esset, defendebatur; ita *d* si quis Feudum pignori datum inficiaretur, vel *e* soluto pretio non restitueret, ad agnoscendum & restituendum compellendus erat.

a Feud. l. 2. tit. 87.
b L. 2. tit. 27.
c L. 2. tit. 27.
d L. 1. tit. 11.
e L. 1. tit. 27.

In Consuetudinario Normanniæ Brevia occurrunt, de Feodo & Firmâ, & e Feodo & Vadio. *f* De Feodo & Firmâ Breve conficitur in hæc verba: Si R. dederit Plegios de clamore suo prosequendo, submone Recognitionem de vicineto quod sit ad primas Assisias Baillivæad recognoscendum utrum terra quam P. ei differciat, sit Feudum tenentis vel firma mobilis tradita per manus G. & utrum

f Cust. c. 114.

R.

R. sit propinquior hæres illius qui eam tradi-
g C. 113. dit ad Firmam. g De Feodo etiam & Vadio Breve currit in hæc verba: Si T. dederit Plegios &c. submone Recognitionem &c. ad recognoscendum utrum terra sive Feodum quod A. ei difforciat, sit Feodum tenentis, vel vadium invadiatum per manum G. & pro quanto, & utrum T. sit propinquior hæres ad redimendum vadium.

SECT. VII.

De Judicio Contractus de re mobili.

Judicium de Contractu circa rem Mobilem, est in quo agitur de obligatione ex Contractu de re Mobili, vel facto aliquo præstando, proveniente.

HUjusmodi etiam Judicia secundum regulas Juris Civilis terminanda Jus Feudale permisisse videtur.

At in Consuetudinario Normanniæ eorum
a Cust. c. 87. & c. 88. vestigia aliqua apparent, ubi a contentionis legitimæ causa habetur, si quis pecuniam quam mutuò, vel equum quam commodatò accepit, reddere recusat. Item, si quis illud quod promisit dare vel facere negligit.
b C. 91. b Et in hujusmodi causis homines non solum pro se, sed etiam pro alijs, ut Plegij scilicet, Hæredes, & Executores, conveniri possunt.
c C. 60. c Notandum verò de simplici plegiatione, quòd

quòd mortuo Plegio moritur Plegiatio, quia ſimplex Plegiatio non tranſit ad hæredes. Cum verò quis unà cum alio ſe conſtituit debitorem principalem, eo mortuo conveniri poteſt. Sed & filius cui Patris hæreditas devenit, itèm Executores & alij ad quos Catalla mortuorum pervenerunt pro eorum debitis conveniri poſſunt. Nemo verò de Anteceſſoris debito præſtare tenetur ultra valorem ejus quod de ejus hæreditate percepiſſe dignoſcitur. Atque hæc etiam de judicijs circa Contractus Feudales.

SECT. VIII.

De Judicio Delicti temporali, & de Judicio Delicti contra Fidelitatem.

Judicium Delicti temporalis eſt in quo agitur de Delicto contra Jus temporale commiſſo, eſtque vel de Delicto contra Fidelitatem, vel contra Pacem, vel contra officium temporale. Judicium Delicti contra Fidelitatem eſt quo quæritur de Delicto contra Fidelitatem ſive Ligeantiam perpetrato, ut de crimine Læſæ Majeſtatis, Proditionis, Rebellionis, Seditionis, & ſimilibus.

NOn ſolum ad explorandum ad quos Dominium & jus in rebus competit, & ad tuendum commercium & negotiationem per contractus, ſed etiam ad reprimendum delicta

delicta, Judicia Feudalia instituta sunt. Quæ, in quantum apparet, de Jure Mediolanensi
a Extrav. tit. 1. (prout de Jure Civili consueverunt) ab *a* Inquisitione, Denunciatione & Accusatione procedebant.

Nec modi dissimiles erant quibus de Consuetudine Normanniæ delicta vel Crimina in Judicium deducebantur. Nam quandoque ad Clamorem populi; quandoque ex relatione fide dignorum, aliquandò ad querelam vel accusationem partis; quæ vulgo Apellum dicitur, de criminibus aut delictis in Judicio
b Cust. c. 54. quæritur. Et primò *b* Clamor qui dicitur Harou consuevit exclamari in discrimine criminoso, ad Ignem scilicet vel ad Latronem, Homicidium vel Roberiam. Et ad hunc Clamorem omnes debent exire qui illum audiverant, & si maleficium viderint propter quod author ejusdem dispendium vitæ vel membrorum pati debeat, ipsum debent retinere, vel clamorem supradictum augere, aut aliter pro negligentia Principi emendare. Cum autem malefactorem apprehenderint, eum Justitiario reddere debent, nec apud se, nisi propter imminens periculum ultra unam noctem detinere. Omnesque quos officiarius requisierit ad malefactores hujusmodi custodiendos vel eos in carcerem deducendos, sibi auxilium impertire, in villâ in quâ residentes sunt, vel per unum diem debent subsidium proprij corporis vel alicujus alterius satis idonei pro ipsis exhibere. Deinde in Criminibus mani-
c Cust. c. 4. & 5. festis seu notorijs, illi, quos *c* Fama publica seu fide-dignorum testimonium culpabiles ostendit, non expectato Juris ordine, arrestari

reſtari ſolent & carceribus mancipari, quouſque per legem Patriæ fuerint liberati. Nullus autem Clericus vel perſona Eccleſiaſtica debet capi vel arreſtari, niſi ad præſens maleficium captus fuerit, vel quouſque captus fuerit Clamore Harou inſecutus, & Eccleſiæ reddi debet ipſum requirenti: In cujus Curia ſi de obiecto ſibi crimine confeſſus fuerit vel convictus, ab omni ordine & privilegio Clericali eſt penitus deponendus & exul à Patriâ profugandus, dum tamen tale ſit maleficium quod vitæ vel membrorum percipere debeat damnamentum. Hujuſmodi enim perſonæ ab omni Laicali Curia ſunt exemptæ, niſi in quantum exigit Feodum Laicale. Sed & *d* quivis alius ad Eccleſiam vel ad Loca Sancta diffugiens, per octo dies poteſt in Eccleſiâ morari: Cuſtodes verò, ne exinde diffugiat, Juſtitiarius Laicalis apponere debet: & nono die ab eo eſt inquirendum, utrum ſe exponere voluerit Juſtitiæ Laicali, vel ſe tenere Eccleſiæ. Et, ſi ſe tenere voluerit Eccleſiæ, Patriam forjurare neceſſe habet, militibus præſentibus & alijs fide dignis, ſub hac forma. Hoc audiant omnes Aſſiſtentes quod tu de cætero in Normanniam non intrabis, nec aliquod malum vel detrimentum propter hanc Priſonam per te vel per alium dictæ terræ vel habitatoribus ejuſdem facies, vel facere procurabis: Sic Deus & Sacroſancta te adjuvent: Quæ verba juranti etiam de ſe debet exprimere; & hoc facto, declarare per quas partes Normanniæ exire voluerit; & eidem ſecundum diſtantiæ quantitatem terminus competens exeundi aſſignandus; nec exeunti ultra unius noctis ſpa-

d C. 24. & 81.

tium in unâ villâ morari licet, nisi gravi & evidenti infirmitate teneatur, nec ad loca reverti jam transacta; &, si expleto termino in Normanniâ inventus fuerit, vel reversus fuerit per Leucam, suum judicium secum reportabit, nec debet Ecclesia ei ulteriùs patrocinari. Et ut *e* forbannizatus, ita & is qui patriam abjuravit, bona quæ possidebat universa forisfacit. Postremò de delicto per viam Appelli vel Accusationis in judicio proceditur, cum quis expositâ querelâ crimen aliquod vel delictum alteri objicit, & coram Justitiario offert se paratum facere quod adversarius id quod ei objicitur recognoscat certo die & horâ: quod cum alius denegat de verbo ad verbum, & offert vadium sive pignus ad defendendum, primùm recipitur Vadium defensoris, posteà Appellatoris, & de Duello deducendo Plegij interponuntur. &c.

e C. 23.

Ad judicium Delicti contrà Dignitatem Regiam quod attinet, Constitutione Henrici septimi *f* quæ inter extravagantes habetur, sic statuitur: Quod in quocunque læsæ Majestatis crimine, maximè ubi contra Imperium vel Regem aliquid commissum asseritur, possit procedi per Accusationem, Inquisitionem, seu denunciationem, summariè, & de plano, sine strepitu & figurâ judicij, prout illi qui Jurisdictioni præest videbitur expedire. Et si quis super dicto Crimine, per nuntium vel per literas, seu etiam per Edictum publicè propositum citatus, neglexit in termino legitimè & personaliter comparere, contra ipsum, perindè ac si præsentialitèr omnibus interesset, tam

f Extrav tit. 1.

ad

ad receptionem Testium, & eorum publicationem, & sequentia, quam ad definitivam Sententiam, & ejus executionem, procedatur.

De Proditione autem contra Ducem Normanniæ sequela fit in hac formâ, *g* Ego cui Princeps Normanniæ Castrum suum custodiendum tradidit, conqueror de T. qui mecum erat ad illud custodiendum, quod ipse proditorie & nequiter de Castro exiens ejus hostes introduxit, ex quo vix potui evadere; quod si negare voluerit, paratus sum facere ut recognoscat; & alio negante de verbo ad verbum, vadia recipienda sunt ad Duellum deducendum. Qui verò *h* Traditores Principis fuisse convicti vel damnati fuerint, omnes eorum Possessiones Principi remanere debent.

g Cust. c. 72.

h C. 14.

SECT. IX.

9 *De Judicio Delicti contra Pacem.*

Judicium Delicti contra Pacem est quo quis convenitur ob Pacem violatam vi & armis, utpote de Homicidio, de Incendio, de Latrocinio, vulneratione & similibus; vel ob Transgressiones, Injurias scilicet & Damna quæ sine vi & armis fiunt.

POst Dignitatem & securitatem Principis & Imperij, Paci publicæ & tranquillitati subditorum Judicia prospexerunt. Ita *a* Constitutione Frederici Imperatoris, si quis hominem infra Pacem constitutum occidit, max-

a Feud. l. 2. tit. 27.

imè si non necessariò sed voluntariè occidisset, capitali sententiâ damnandus erat. Ejusdem
b L. 5. tit. 1c. constitutione alterâ, *b* Incendiarius, si captus erat, & se Incendium commisisse negaret, septem testibus convictus Capite plectebatur, si notorium fuerat, nullius testimonio requisito, statim erat decollandus; si capi non potuit, Proscriptioni subjiciebatur.
c L. 2. tit. 27. Item *c* publici Latrones, & fures qui quid quinque solidos valens furati erant, laqueo erant suspendendi. Si quis infra Pacis Edictum alium
d Ibid. *d* vulneravit, ejus manus erat
e Ibid. §. 3. amputanda. Et hujusmodi delictorum *e* Reus aliquando Judicio humano sive Testibus, aliquando Divino, id est Duello, innocentiam
f Ibid. suam purgare potuit. *f* Si verò Miles adversus militem pro Pace violatâ aut aliquâ capitali causâ Duellum committere voluit, pugnandi facultas ei non concedebatur, nisi probare posset quod antiquioribus majores ejus milites legitimi fuerint. Eodem Jure si quis alteri injuriam vel contumeliam fecit, veluti si crines ejus aut barbam expilaret, decem Libras parti læsæ, viginti Judici persolvere; si quis temere in aliquem incurreret, vel contumeliosè tractaret, quinque libras parti, decem Judici pendere tenebatur. Sed & in Rebus Damnum injuriâ datum secundum Jus civile vindicari consuevisse conjicere licet. Secundum Consuetudinem Normanniæ
g Cust. c. 68. *g* de Homicidio consultò perpetrato, quod vulgò murdredum dicitur, sequela fiebat in hac formâ: Petrus queritur de R. qui patrem suum requisitè in Pace Domini Regis occidit, quod paratus est probare &c. Et *h* hanc sequelam faciendi
h C. 69.

ciendi propinquior de genere poteſtatem habet, qui ſi in minori ætate fuerit, vel ætatem tranſegerit, alius propinquior proſequi poteſt, vel quis alius de genere in quem omnis parentela conſenſerit. De *i* Roberiâ ſimiliter, ita querela inſtituitur: Ego conqueror de Titio, quod me in Pace Dei & Domini Regis felonicè invaſit, & capam ſive tunicam mihi abſtulit. Item de *k* mutilatione membrorum quod vulgo Mehaymium dicitur, & de *l* violentâ aggreſſione qui Aſſaltus vocatur; & de reliquis, eodem modo querelæ deducebantur. *m* Si verò nemo erat qui ſequelam faceret, aut clamorem, ſi publica infamia ſuper hujuſmodi Delicto aliquem criminoſum feciſſet, Patriæ Inquiſitionem ſuſtinere debuit; id eſt, *n* Jurea fiebat per viginti quatuor homines probos & legales circa Loca & in locis in quibus factum fuerat maleficium, & ſecundum eorum dictum fieri debet Judicium incontinenti, & Judicium factum ſine dilatione executioni demandari. Et hujuſmodi Querelæ, *o* Placita Spathæ ſive Gladij dicuntur, quòd in ijs malefactores gladio & armis ſunt reprimendi, vinculiſque & carceribus mancipandi, & demum vitæ vel membrorum diſpendio coercendi. Sed *p* qui pro hujuſmodi criminibus morti damnati ſunt, eorum terras & proventus earum per unum annum Princeps Normanniæ habet; & poſt annum elapſum Dominis à quibus tenentur ſunt reſtituendæ. *q* Res mobiles verò ſive Catalla univerſa, quemadmodum qui Banniti ſunt, vel Patriam abiurarunt, Duci forisfaciunt,

i C. 70.
k C. 73.
l C. 74.
m C. 68.
n C. eodem & c. 69.
o C. 54.
p C. 24.
q C. 23.

ciunt, Eodem Jure de Delictis quæ Facto vel Dicto ad alterius Contumeliam vel Injuriam committuntur, sic statuitur : Quòd *r* pro læsione ex Facto, veluti simplici percussione, Querelatus si convictus fuerit, *s* pro qualitate Delicti tam Curiæ quam parti læsæ, emendare, vel mulctari debeat pro delicti qualitate, ut pro effusione sanguinis, pro percussione cum pugno vel palma; ita tamen quòd non sit major Emenda tenentis Curiam, quam personæ cui illata est injuria. *t* Nullus autem de simplici percussione quam servo suo intulit, vel filio, vel nepoti, vel uxori, vel alicuicumque de familiâ, ad Legem provocari debet; Illud enim correctionis causâ factum præsumendum est. *u* Si verò vir uxorem mehaymiaverit, ut eruendo oculum, vel frangendo brachium, vel ejus corporis enormi percussione eam indebitè & nequiter tractare consueverit, hujusmodi actiones Correctiones non judicantur. *x* Pro convitio vel Contumeliâ verbis illatâ, qui homicidium, Latrocinium, vel ejusmodi crimen alicui objecit, gravitèr per pecuniam puniri, & injuriam passo satisfacere debet, in Assisiâ scilicet vel placitis, nasum suum per summitatem tenens, dicendo, Ex eo quod vocavi te Homicidam, mentitus fui, quia hoc crimen in te non est, & ore meo quo illud protuli me mendacem exhibui. *y* Qui levius convitium feciſſe convictus est, debet Justitiario emendare, & passo injuriam simplicitèr dicere, quod vitium non est in eo quod ei objecerat inconsultè. *z* Sin autem quis alteri crimen objecit quod paratus est probare, ad probandum,

r C. 84.
s C. 85.
t Ibid.
u C. 101.
x C. 86.
y C. 86.
z C. eod.

dum admitti poteſt, modò crimen tale ſit quod ad ipſum pertinuerit, ut de Homicidio Patris vel Fratris, vel de furto ſibi ipſi illato. *a* Atque hujuſmodi Querelæ de Facto & dicto per ſimplicem Legem, id eſt, per diſrainiam quæ fit per Sacramentum Querelati & coadjutorum, erant terminandæ. De Damno quod Rebus alicujus injuſtè infertur, ſic proſpicitur; quod *b* ſi quis in Feudo vel Prædio ſuo aliorum animalia, dum damna faciunt, utpote dum blada vel gramina depaſcunt, invenerit, eadem capere & detinere poteſt, quouſque Pignus vel Fidejuſſores de damno dato reſtaurando receperit. Sed & *c* ſi cui in ſtagnis, Boſcis, Molendinis, aut aliter, facto alterius Damnum datum ſit, implorato Juſtitiarij auxilio reſarciri debet.

a C. 54.

b C. 6.

c C. 10.

SECT. X.

De *Judicio Delicti contra Officium temporale.*

Judicium Delicti contra Officium temporale eſt cum quis ob aliquid contra Fidelitatem perpetratum, vel ob ſervitium non præſtitum in jus vocatur.

DE Jure Feudorum ſi quis crimen ingratitudinis commiſit, utpotè *a* ſi hoſtiliter adverſus Dominum ſe geſſiſſet, ſi uxorem

a Feud. l. 2. tit. 57.

rem vel filiam corrupisset, vel aliquid ejusmodi admisisset, amissione Feudi plectebatur, Sed & eodem jure, *b* si Domino petenti deservire nollet, vel *c* servitium debitum præstare recusaret, Dominus ad auferendum feuda agere potuit.

b L. 1. tit. 21.
c L. 2. tit. 24.

FINIS.